DE

EXEMPTIONE REGULARIUM

CONSERVANDA ET CONFIRMANDA

COMMENTARIUS

DE

EXEMPTIONE REGULARIUM

CONSERVANDA & CONFIRMANDA

COMMENTARIUS

VICTORIS DE BUCK

PRESBYTERI SOCIETATIS JESU

BRUXELLIS

TYPIS FRANCISCI VROMANT

3, VIA CAPELLÆ B. M. V., 3

1869

APPROBATIO.

Cum quatuor theologi Societatis nostrae legerint edique posse censuerint librum cui titulus : *De Exemptione regularium conservanda et confirmanda commentarius* VICTORIS DE BUCK *presbyteri Societatis Jesu* : ego infrascriptus Praepositus Provinciae Belgicae Societatis Jesu concedo facultatem dictum librum typis excudendi. In quorum fidem hasce, manu prcpria subscriptas consuetoque officii mei sigillo munitas, dedi Bruxellis in festo Nativitatis Christi Domini 1869.

L. S. C. CRESPELLE S. J.

PROŒMIUM.

Quum non minima pars operæ diligentiæque conciliorum generalium posita sit in perficiendis et resarciendis disciplinaribus legibus, quibus singulæ hominum classes, status et conditiones reguntur; profecto mirum non est si in plerisque synodis œcumenicis prætermissi non fuerint ordines et instituta regularia, præclara et egregia ecclesiæ catholicæ portio.

Ut autem religiosorum vitæ ratio singularis est, sic quoque eorum leges : quæ, quoniam jam pridem jurisconsultis et theologis persuasum est *privilegium* venire a *privatis legibus*, *privilegia* dici solent. Unde fit ut regularium officia et jura a conciliis perpendi non possint, quin de eorum agatur privilegiis. Quocirca omnino verisimile est in concilio Vaticano, in quo christianis singulis et universis proponetur ob oculos quid Deo, quid ecclesiæ prælatis, quid sibi ipsis, quid sibi invicem, quid Christi fidelibus debeant, sermonem futurum esse de privilegiis regularium.

Verum ex hoc ipso quod non communis sed peculiaris est eorum vitæ institutio, sequitur ut cuivis, etiamsi doctus sit et res multas experientia compertas habeat, obviæ et perspectæ esse non possint necessariæ hujus status conditiones : quapropter visum est non inutile fore breviter de privilegiis regularium, maxime de exemptione, disserere. Et quoniam huic libro, a Belga conscripto et in Belgio typis impresso, hic potissimus præstitutus est scopus ut lectoribus persuadeatur exemptionem illam

conservandam et confirmandam esse; facile fieri posset ut quis existimet episcopos Belgas adversari præsenti regularium constitutioni. Verum, siquis hæc reputet, is omnino a vero aberrat : certe nullus ex eis umquam auditus est novitatem qualemcumque in hac parte moliri aut cogitare. Quæ ad omnem a præstantissimis Belgii antistitibus amovendam calumniam hoc loco dicenda visa sunt.

Plus viginti abhinc annis idem argumentum versandum mihi fuit in *Examine historico et canonico de clericorum sæcularium et regularium juribus et officiis*; in quo libro quum omnia pene dicta sint de regularium exemptione quæ vel ex historia vel ex jure canonico hauriri possint, non potui non multa inde referre in præsentem commentarium.

Faxit autem Deus ut hac qualicumque scriptione sua promoveatur gloria, ecclesiæ honor, disciplinæ regularis observantia et Christi fidelium sanctificatio!

DE

EXEMPTIONE REGULARIUM

CONSERVANDA ET CONFIRMANDA

COMMENTARIUS

CAPUT PRIMUM.

De universo statu religioso.

1. In quibus consistat status perfectionis.
2. Quas partes status religiosus complectatur.
3. Quæ partes sint substantiales et accidentales.
4. Status religiosus et status perfectionis acquirendæ non sunt diversi.
5. Status religiosus ab ipso Christo institutus fuit.
6. Hinc sequitur eum ab auctoritate ecclesiastica supprimi non posse.
7. Quo jure approbatio ordinum religiosorum sit necessaria.

Considerandum nobis imprimis est quæ sit natura et vis religiosæ vitæ et quæ ad eam generaliter pertineant; in quo examine facem quasi præfert *status perfectionis* definitio. Auctoribus itaque S. Thoma (1) et Suaresio (2), *status perfectionis est quædam vitæ professio seu quidam vivendi modus firmus et stabilis ad propriam perfectionem vitæ christianæ obtinendam vel exercendam institutus* : continet enim non solum statum perfectionis *acquirendæ,* sed etiam statum perfectionis *exercendæ* (3).

(1) 2. 2. quæst. 184, art. 4.

(2) De Religione tract. 7, lib. 1, cap. 5, num. 3.

(3) Ibid. cap. 14.

Perfectio autem *christiana*, ad quam status perfectionis dispositus est, essentialiter et principaliter consistit in caritate, ita scilicet ut alias simul virtutes vel ut instrumenta vel ut accidentia caritatis comprehendat (1). Qualis autem caritas *statui perfectionis* præ *statu vitæ communis* congruat lucide suo more secundum S. Thomam (2) exponit Bellarminus, distinguendo quatuor caritatis gradus; quos ita describit (3) : *Primus gradus caritatis est diligere Deum quantum est diligibilis,... qui gradus soli Deo convenit... Secundus gradus est diligere Deum... quantum potest creatura... In hoc gradu versantur beati... Tertius gradus est diligere Deum... quantum potest creatura mortalis, quæ a se removit omnia divini amoris impedimenta et totam se Dei obsequio consecravit... Et hæc est perfectio de qua loquuntur theologi, cum dicunt statum episcoporum esse statum perfectionis adeptæ, et statum religiosum esse statum perfectionis acquirendæ..... Quartus gradus est diligere Deum, non quantum est diligibilis, non quantum potest creatura vel absolute vel in hac vita diligere, sed tamen ita ut nihil æque aut magis quam Deum diligat, id est, nihil contrarium divinæ dilectioni. Et hic gradus præceptus est omnibus, et quamdam habet perfectionem, licet respectu superiorum sit imperfectus. Unde* 1 *Joan.* 2 *dicitur :* QUI SERVAT VERBUM EJUS, VERE IN HOC CARITAS DEI PERFECTA EST. *Et tamen Matth.* 19 *Dominus ei, qui dicebat se omnia præcepta servasse, ait* : SI VIS PERFECTUS ESSE, VADE, VENDE OMNIA, *etc. Loquitur enim Joannes de isto quarto gradu; Dominus autem de tertio, de quo nos in definitione religionis.*

2. Definitio hæc a Bellarmino ita datur (4) : *Religio status est hominum ad perfectionem christianam per paupertatis, continentiæ et obedientiæ vota tendentium.* Nimirum liquet, ut idem scriptor bene annotat (5), *instrumenta aptissima atque utilissima ad hanc perfectionem acquirendam esse illas tres virtutes, paupertatem, continentiam et obedientiam. Nam, ut quis perfecte Deum diligat, debet et se totum Deo tradere et omnia impedi-*

(1) Ibid. cap. 3.

(2) Opusc. de perfect. vitæ spirit. cap. 3 et seqq. tom. 19 Operum, pag. 393 et seqq. edit. Venet. 1776-1788.

(3) De Monachis, cap. 2, tom. 2 Controvers. col. 427, edit. Ingolstad.

(4) Ibid.

(5) Ibid. col. 428.

menta removere. Tradimus enim Deo nos totos, quando tradimus animum, corpus et res exteras: nihil enim habemus aliud. Tradimus autem animum per obedientiam, corpus per continentiam, res exteras per paupertatem. Item per has virtutes removentur omnia impedimenta divini amoris. RADIX *enim* OMNIUM MALORUM EST CUPIDITAS. 1 *Tim.* 6... *Omnis autem mala cupiditas ad tria capita revocatur... Nam* 1 *Joan.* 2 *dicitur* : QUIDQUID EST IN MUNDO, AUT EST CONCUPISCENTIA CARNIS, AUT CONCUPISCENTIA OCULORUM, AUT SUPERBIA VITÆ. Advertendum præterea *non sufficere ad religionem has tres virtutes, nisi accedat votum, id est sacra promissio Deo facta, qua quis obstringat se perpetuo ita victurum. Religio enim est* STATUS *quidam : status autem significat rem immobilem et perpetuam. Quare fieri poterit ut aliquis sit perfectus, et tamen non sit in statu perfectionis* ; *quemadmodum e contrario non raro accidit ut multi tam episcopi quam religiosi sint in statu perfectionis et non sint perfecti.* Adde ex S. Thoma (1) ad statum insuper requiri *quamdam positionis differentiam* : quam quidem religiosæ vitæ, a statu sæculari per externam prædictæ devotionis professionem distinctæ, inesse unusquisque satis videt.

3. Quæcumque hactenus compendiose diximus, latius deducuntur a Suaresio (2) ; qui et docet ad statum perfectionis requiri observationem, non tantum *mandatorum*, quæ omnibus Christianis sunt communia, verum etiam *consiliorum* (3) : quamvis autem nullum sit consilium quod statui perfectionis competere non possit, esse tamen probe distinguenda consilia *particularia* a *generalibus*. Particulare consilium vocat quod de aliquo opere solum propter suam ipsius honestatem datur et aliis minus bonis præfertur; generale vero quod non datur solum propter suam honestatem, sed etiam propter utilitatem ad alias virtutes, præsertim ad perfectionem caritatis obtinendam. Probat dein generalia consilia ex parte materiæ tria tantum numerari : *paupertatis, castitatis* et *obedientiæ ;* quibus ex parte modi addi potest quartum, nempe consilium firmandi per *votum* talia con-

(1) 2. 2, quæst. 183, art. 1.
(2) Lib. 1, cap. 1 et seqq. ; lib. 2, cap. 1, 2 et 3.
(3) Lib. 1, cap. 10 et 11.

silia : *Quia vero*, ait (1), *hoc consilium vovendi per omnes materias virtutum vagari potest, et quia supra cætera consilia quasi reflectitur et cum singulis quasi unum efficitur, vel etiam quia quodammodo transfert consilium in præceptum et sub necessitate constituit quod erat liberum, ideo inter hæc generalia non numeratur ut distinctum, sed sub illis comprehenditur. Atque ita hæc tria consilia dici per antonomasiam solent* CONSILIA EVANGELICA *vel* CONSILIA PERFECTIONIS *vel denique absolute et simpliciter* CONSILIA : *alia enim sunt veluti secundum quid aut respective tantum.* Post quæ explicat quî consilia illa particularia versentur ordinarie in materia præceptorum vel gravium vel saltem levium, et solum ratione circumstantiarum dicenda sint consilia ; dum contra continentia, paupertas et voluntatis propriæ renuntiatio omnino sunt extra præceptum (2) : quamobrem tria hæc, quibus impedimenta perfectionis simpliciter auferantur et homo Dei obsequio prorsus dicetur, *omnia* et *sola* ad statum perfectionis acquirendæ *essentialia* sive *substantialia* esse, reliqua vero esse quasi *accidentalia ;* quamvis multa sint necessaria ad plenitudinem perfectionis, nec tamen omnia omnibus ad perfectionem tendentibus, sed varia variis pro ratione circumstantiarum et finium cuique propositorum (3).

4. *Status* autem *perfectionis acquirendæ* ac *status religiosus,* sicut Doctori Angelico (4), ita quoque Suaresio (5) unus idemque status est, qui *perfectionis* dicitur a proximo fine ad quem tendit, et *religiosus* ex habitudine ad finem ultimum seu Deum. Ac strictiori quidem significatione non alius est ac status regularium, qui se Deo totaliter consecrant et tradunt, vota de tribus consiliis evangelicis servandis emittendo. Latiori vero significatione complectitur et alios vivendi modos in quibus homines se offerunt divino obsequio, ad aliquam consiliorum observationem se obligando ; et sic, ut dicit Suaresius (6), comprehendit non tantum proprios et completos religiosos, sed etiam continentes qui per solum votum castitatis se Deo specialiter obligant, vel quoscunque alios qui non integre, sed ex parte

(1) Ibid. cap. 8, num. 2 et 3.
(2) Ibid. num. 4, 5 et 6.
(3) Ibid. num. 7, lib. 2, cap. 1 et 2.
(4) 2. 2. quæst. 186, art. 1.
(5) Lib. 2, cap. 1.
(6) Ibid. num. 1.

vota religiosorum emittunt. *Quapropter,* ait (1), *sicut status perfectionis, ita etiam religiosus status ample sumptus distinguendus est in statum integrum ac perfectum et statum imperfectum, seu in statum* COMPLETUM *et* INCOMPLETUM.

5. Quum autem in propatulo, sit Christum adhortatum esse homines non ad unum alterumque observandum consilium, sed ad consilia evangelica amplectenda omnia, neque eum omisisse perfectionis accidentales partes, quum consiliis particularibus in omni virtutum genere traditis referta sint sacra Evangelia, nihil deest ut universa status religiosi completi substantia a Christo profecta dicatur : humanæ scilicet operæ hoc unum relictum est ut prudentem perfectionis subsidiorum artiumque ad certos fines et pro certis temporum locorumque necessitatibus delectum faciat. Unde religionum sive ordinum religiosorum varietas exsurgit.

De quo firmissimo doctrinæ capite audiendus est iterum Suaresius. Proposita is sibi quæstione: *Utrum religiosus status a Christo ipso fuerit institutus* (2), præmissaque pro more suo hæreticorum de exoso hoc ipsis statu doctrina, de qua hic nobis locus dicendi non est, continuo post respondet in hunc modum (3) : *Pro explicatione advertendum est aliud esse loqui de statu religioso puro ac nudo, quoad ea quæ illi substantialia sunt, aliud vero esse loqui de illo ut determinato ad certam regulam seu certum vivendi modum, vel, quod perinde est, ut talibus circumstantiis vestitum. Dico ergo primo : Status religiosus secundum se et quoad substantiam suam ab ipso Christo Domino immediate traditus et institutus fuit ; atque ita dici potest esse de jure divino, non præcipiente, sed consulente. Hæc est sententia omnium catholicorum recte sentientium.* In cujus rei confirmationem citat S. Thomam, Waldensem, Clictoveum, Sotum, de Castro, Navarrum, Alvarum Pelagium, Catharinum, Turrianum, Bellarminum, Platum, Valentiam, Henriquezium, Pighium, Salmeronem et Vasquezium. Tum pergit (4) : *Eadem veritas sumitur ex antiquis Patribus, qui communiter docent christianorum*

(1) Ibid. cap. 2, num. 18.
(2) Tract. 7, lib. 3, cap. 2.
(3) Ibid. num. 3.
(4) Ibid. num. 4.

vitam et statum in duos ordines Christum distribuisse : unum profitentiun communem viam mandatorum, ut sunt conjugati ; alium qui profitentur altiorem et angelicam vitam, id est, religiosam. Quæ dicta ex SS. Athanasio, Basilio, Chrysostomo, Hieronymo, Augustino, necnon ex Eusebio et Origene confirmat. Licet vero communis theologorum sententia Patrumque doctrina maximi sit ponderis, tamen *fundatur præcipue*, ait Suaresius (1), *hæc veritas in Evangelio, in quo Christus homines ad tria illa consilia paupertatis, castitatis et obedientiæ exhortatur et ad vota perpetua de illis facienda... At vero substantia status religiosi in his tribus votis consistit : ergo hic status ab ipso Christo traditus est.* Idemque enucleans, dum ad quamdam objectionem respondet : *Dico secundo*, inquit (2), *Christum Dominum instituisse religiosum statum quantum ad omnia quæ sunt de substantia talis status, etiamsi non instituerit particularem determinationem ejus ad talem regulam vel circumstantias. Illud vero sufficit ut dicatur talem statum instituisse. Hæc ultima pars per se nota est; quia res dicitur simpliciter talis ratione suæ substantiæ et essentiæ, et ideo qui rei substantiam producit, absolute illam producit, etiamsi non conferat accidentalia. Sic etiam dicitur Christus instituisse sacramenta, quia docuit ea quæ sunt de eorum substantia, etsi accidentalia ecclesiæ commiserit.*

6 Hinc apparet quantum aberrent a vero politici et incauti aliquot catholici qui existimant statum religiosum ab ecclesia abrogari posse et propter novam temporum conditionem abrogandum esse. Ast hæc mens non est venerabilium ecclesiæ Gallicanæ antistitum, qui viginti quinque abhinc annis pro regularium institutorum in Galliis conservatione insuperabili constantia et inexhausta doctrinæ copia adversus religiosorum hostes dimicarunt, innumeris scriptis gubernio regis Ludovici Philippi oblatis et per orbem universum cum omnium bonorum plausu sparsis. Non hæc mens est quam foverunt circa sæculi superioris finem illustrissimi in Belgio episcopi, dum toties imperatori Josepho II inculcarunt religiosum statum ad essentiam fidei et religionis

(1) Ibid. num. 5. (2) Ibid. num. 6.

christianæ pertinere (1). Non hæc sententia est theologorum, qui ad *notam sanctitatis* ecclesiæ requirunt ut exterius patefiat exercitatio omnium virtutum in summo gradu, quatenus complectitur etiam *consilia evangelica* (2), dicente S. Francisco Salesio (3) : *Ipse Christus consilia evangelica in praxim deduxit, et ut ab ecclesia primitiva in praxim deducerentur curavit; omnia scripta sunt et consignata : quid est tota Salvatoris vita nisi fidelium regula et instructio? Debuit ergo ecclesia hoc documento uti, adeo quidem ut inter christianæ religionis exercitia praxis hujus paupertatis, obedientiæ et propriæ abnegationis recenserentur. Et revera omni ætate ecclesia exercitia hæc observavit : unde colligitur eadem illi propria esse. Ad quid autem dedisset Dominus hæc consilia, si nemo ea sequi deberet? Hinc patet in vera Christi ecclesia perfectionem veram vitæ christianæ splendescere debere.* Hisce accedunt summi pontifices, qui in approbandis ordinibus religiosis Christi Domini verba sæpenumero allegant; sed unum hic ex omnibus suffecerit citasse immortalis memoriæ Pium VI, qui in Brevi super principiis Constitutionis civilis cleri Gallicani, de suppressione omnium regularium institutorum et prohibitione ne ulla alia in posterum admittantur in hunc scribit modum (4) : *Regularium abolitio, a conventu nationali plaudente hæreticorum commentis decreta, lædit statum publicæ professionis consiliorum evangelicorum; lædit vivendi rationem in ecclesia commendatam tamquam apostolicæ doctrinæ consentaneam; lædit ipsos insignes fundatores, quos super altaribus veneramur, qui non nisi a Deo inspirati eas instituerunt societates.* Horum itaque omnium sententia ad intima religionis christianæ viscera pertinet religiosus status sive consiliorum evangelicorum professio, nec comprimi seu prohiberi potest quin ipsa lædatur fides et Christo consilia illa suadenti irrogetur injuria.

(1) Cfr. Epistola Em. J. H. de Franckenberg ad Belgii Gubernatores, in Synodico Belgico, edit. Fr.-Xav. De Ram, tom 2, pag. 516.

(2) Perrone, Prælect. theolog. vol. 8, pag. 94 et 135, edit. Lovan.

(3) Opere, tom. 8, disc. 14, p. 191, edit. Brixiens. 1830, apud. Perrone, vol. cit. pag. 136 et 537.

(4) Brevi *Quod aliquantum* ad Card. Rupefucaldium aliosque, 10 mart. 1791, in Collect. Brevium, tom. 1, pag. 91 et 92, edit. Belg. 1800.

Verumtamen animadvertendum est nequaquam necesse esse ut qui in statu religioso sint vitam communem ducant; quod vel ex primævæ institutionis monachorum historia liquet. Sed et argumenta scholastica ad id demonstrandum non desunt : *Neque ex ratione status ut sic*, ait Suaresius (1),*neque ex ratione status perfectionis necessaria est illa conditio vitæ communis; neque status religiosus ex sua specifica ratione aliquid habet unde illam necessario requirat : ergo nulla ratione necessaria est. Major quoad utramque partem probatur : quia status ut sic solum dicit immobilitatem quamdam in conditione libertatis aut servitutis; addit vero status perfectionis quod sit in ordine ad actus perfectionis exercendos. Sed conditio servitutis potest esse propria alicujus personæ privatam vitam agentis, et in illa potest habere stabilitatem et ordinem ad actum perfectionis : ergo. Atque eadem proportione probanda est minor propositio : quia status religiosus non addit supra statum perfectionis nisi quod sit in ordine ad perfectionem* ACQUIRENDAM, *et quod sit veluti schola perfectionis. Sed potest quis privatam vitam agens perfectioni acquirendæ insistere et certam vitæ rationem firmam et stabilem assumere, in qua per observantiam trium consiliorum ad perfectionem tendat et ad hunc finem sub alicujus potestate sit firmiter constitutus. Ergo nihil ei deerit quominus vere ac proprie sit in statu religionis.... Ergo sine vita communi potest status verus religionis constitui. Quomodo autem semper intervenire debeat ecclesiæ approbatio, infra videbimus.*

7. Initio autem hæc approbatio in sola Evangelii prædicatione quæ omnes perfectionis leges continet, constitisse videtur. Cui rei paulatim accesserunt eximia virorum sanctorum, qui hoc vitæ genus sectati erant, exempla, et institutiones seniorum qui tum sua tum aliena experientia didicerant quæ potissime captanda et quæ fugienda essent, ut summa securitate minimoque periculo ad propositum sibi scopum pertingerent. Sed, quamquam de partibus substantialibus ambiguitas nulla umquam fuit neque esse potuit, de accidentalibus dubia consurgere poterant plurima, maxime si religiosi sibi soli non vacarent, sed operibus misericordiæ sacroque ministerio darent operam. Quapropter quum

(1) Tract. 7, lib. 2, cap. 4.

sæculis XI et XII ingenti impetu impugnarentur divitiæ non episcoporum tantum, sed et monasteriorum, multique conarentur novas instituere religiones a quibus non excluderentur tantum bona propria verum etiam communia, (a qua re spiritus schismaticus non semper alienus erat), usa est ecclesia auctoritate quam in universos qui in ea continentur status habet, decrevitque in concilio Lateranensi IV, anno 1215 ab Innocentio III coacto, neminem statum religiosum valide aut licite amplecti posse nisi in religionibus a Romano pontifice approbatis, et in concilio Lugdunensi II, anno 1273 sub Gregorio X celebrato, omnes mendicantium ordines ad Fratres Prædicatores, Minores, Eremitas S. Augustini et Carmelitas reduxit. Quam doctrinam paucis explicat Bellarminus : *Oritur,* (1) inquit, *hoc loco brevis quædam dubitatio, an religionum institutio libera sit, an vero egeat summi pontificis confirmatione; sed facilis est solutio. Duo siquidem in omni religione inveniuntur : essentia ipsa religionis, quæ in tribus votis sita est ; et determinatio illius essentiæ ad certum modum vivendi. Et quidem essentia religionum in Evangelio fundamentum habet... : proinde ex hac parte non egent religiones pontificum approbatione. Modus autem ille varius, quo tria vota suscipi possunt, non ita perspicue in Evangelio elucet, et non parum ex prudentia et directione humana pendet. Quare pontificis confirmatione* INDIGERE POTEST, *et* NUNC *reipsa, propter* JUS POSITIVUM *novas religiones prohibens,* OMNINO INDIGET. *Itaque Antonius, Basilius, Augustinus, Benedictus auctores religionum fuerunt, nec ullam leguntur a pontifice approbationem quæsivisse : propterea quod nondum exstaret jus ecclesiasticum id præcipiens.*

(1) De Monachis, cap. 4, col. 431.

CAPUT SECUNDUM.

De primæva monasteriorum libertate.

1. Quanta esset initio varietas inter religiosos.
2. Quanta eorum tum esset libertas.
3. Lis inter abbatem Petrum et primatem provinciæ Byzacenæ ab universali concilio Africæ in favorem monachorum dirempta.
4. Ab altero concilio Carthaginensi monachorum libertas confirmatur.
5. Disciplina Africana, secundum quam fundatoribus licebat monasteria cuilibet subdere episcopo, universalis fuit.
6. Partim perseveravit in Oriente etiam post concilium Chalcedonense.
7. Hoc fundamento nititur jus subdendi Romano pontifici nova monasteria.

Ex his quæ hactenus diximus satis jam apparuit non eamdem semper fuisse religiosorum conditionem et modum. Quamobrem, ut discrimen quoddam fieret, vocabula quædam, diu indifferenter usurpata, cœperunt adhiberi ad certas distinguendas classes; qualia sunt *ascetarum*, seu *philosophorum*, *eremitarum* seu *anachoretarum* et *monachorum* seu *cœnobitarum* nomina : quibus postea accesserunt *canonici regulares*, *mendicantes* et *clerici regulares*. Sed initio neque re neque nomine exsistebat hæc distinctio, atque unus erat ordo monasticus, ad quem pertinebant quicumque statum religiosum amplexi essent. Neque religiosi certo monasterio adscripti erant, sed alii vivebant sibi domi, alii inserviebant ecclesiis, alii seorsim, alii communiter alii in desertis; ita tamen liberi ut frequenter sedes mutarent, adeoque Orientales venirent in Occidentem, Occidentales irent in Orientem, et ut nuspiam fere certa esset regula, sed magna disciplinæ pars posita esset in arbitrio abbatis, siquis tamen abbati subesset. Sed, quum in Occidente per S. Benedicti regulam prævaluit stabilitas monastica, quam antea jam aliqui patres suis præscripserant minus fausto eventu, cessavit pedetentim pristina illa libertas, et passim exsurrexerunt religiosæ domus, a quibus recedere nemo posset et in quibus exercitia pia in

communi fierent templo, præcepta darentur et culpæ castigarentur in communi capitulo, cibus potusque sumeretur in communi refectorio et somnus in communi dormitorio caperetur. Verumtamen singulæ hæ domus sui juris erant, suas habentes leges suumque abbatem, neque aliud erat inter eas vinculum ac ejusdem regulæ communio.

2 Quum res ita compositæ erant, naturaliter quasi secutum est ut episcopi, quorum officium est suos omnes diœcesanos monitionibus, minis atque pœnis ad præstanda quæ debent adducere et cogere, auctoritatem aliquando in religiosos nanciscerentur. Sed serius quam multi cogitant hoc factum est, et concessa auctoritas multa pauciora comprehendit quam vellent hostes exemptionis regularium. Quæ duo capita jam declaranda sunt.

Quamvis Van Espen, utpote regalistarum facile princeps, episcoporum auctoritatem ultra limites extenderit ut difficultates regularibus crearet (1), quod huic hostium ecclesiæ generi commune vitium semper fuit, non potuit tamen pristinam monachorum libertatem non fateri. *Quum monachi,* inquit (2), *non de clericorum, sed laïcorum* (seu potius media) *sorte essent, etiam episcopis non aliter quam reliqui laici subdebantur : nec in ipsos majorem quam in cæteros laicos auctoritatem primis saltem tribus sæculis episcopi habuisse videntur : nec canon aliquis reperitur qui eos primis illis sæculis speciali ratione episcopis subjecerit, aut aliquam nominatim in monachos auctoritatem episcopis dederit.* Non alia est doctrina Maurinorum, qui dissertationem de exemptione regularium quæ in Novo tractatu de re diplomatica legitur et quam Pius papa VI in apostolicis literis (3), quibus Constitutionem civilem cleri Gallicani damnavit, non sine laude produxit, scripserunt ; quorum hæc sunt verba (4) : *Suivant la plus ancienne discipline le gouvernement des abbayes fut abandonné aux supérieurs réguliers.* Quibus præive-

(1) Revue catholique de Louvain, année 1849, pag. 499.

(2) Jus eccles. univ. tit. 12, de exemptione, cap. 1, num. 7. Opp. tom. 2, pag. 407, edit. 1753.

(3) Breve *Quod aliquantum differre,* Collectio brevium, tom. 1, pag. 90, edit. Belg. 1800.

(4) Nouveau traité de diplomatique, tom. 5, pag. 376.

rat Franciscus de Roye, doctissimus jurisconsultus, scribens (1) : *Quum olim monachi ex primæva origine essent omnino liberi et exempti a potestate et jurisdictione diœcesanorum episcoporum; eo tandem fluxit ecclesiastica disciplina, ut iis jure communi subjaceant.* Quod plane manifestum est ex querelis S. Basilii (2) quod nullum episcopis esset adminiculum corripiendi pravos monachos, quandoquidem absque ulla solemnitate propositum monasticum amplexi fuerant; dein ex literis S. Hieronymi (3), ecclesiæ doctoris et Bethleemitici monachi, quæ libertatem arguunt quali ne nunc quidem fruuntur regulares exempti; sed potissimum ex conciliis Carthaginensibus duobus sæculi VI, ex quibus vetus monasteriorum libertas luculentissime apparet.

3 Disciplina autem hæc brevissime exponi potest : Monasteria omnia omnino a conditione clericorum, id est a jurisdictione episcopi, modis omnibus erant libera, sibi tantum et Deo placentia; ita ut monachi in abbatum suorum, quos libere elegissent, potestate essent; contentiones monasticæ (si non sufficeret præsentis abbatis auctoritas) abbatum aliorum concilio sive judicio finirentur et (si scandalum seu lis perseveraverit) ad primates uniuscujusque provinciæ per viam appellationis perducerentur; nullamque aliam haberent episcopi diœcesani auctoritatem quam monachos, ab abbatibus ad clericatum oblatos, ordinare et oratoria (si singularia cuperent) dedicare, dummodo fundatores (si ante locus liber aut profanus esset) in fundatione non statuissent, nam plena hujus rei erat licentia, novum monasterium fore de jure alius episcopi, etiam longinqui, a quo episcopalia acciperent.

Hanc fuisse primævam monasteriorum institutionem palam

(1) De missis dominicis, cap. 7, ap. Nouveau traité de diplomatique, tom. 5, pag. 378.

(2) Epist. 199, al. 2 ad Amphilochium, de canon. Opp. tom. 3, pag. 292, edit. Maurin.

(3) Lib. contra Joannem Jerosolym. ad Pammachium, num. 41 et seqq. Opp. S. Hieronymi edit. Vallarsii, tom. 2, col. 451 et seqq. item epist. 82 ad Theophilum, num. 8, tom. 1, col. 517 et seqq. Cfr. Epist. S. Epiphanii ad Joannem Hierolymit. interpr. S. Hieronymo, Opp. S. Epiphanii tom. 2, pag. 312 et seqq. Coloniæ 1682.

fit ex causa Petri abbatis, quam adversus Liberatum, primæ sedis Byzacenæ episcopum, vicit. Die 5 februarii anni 525, præsidente Bonifatio, episcopo Carthaginensi, convenerant episcopi ex universa Africa et quæ ad fidem disciplinamque generalem pertinerent absolverant, decreta antiqua renovantes. Postridie locus datus causis privatis. Inter alios autem Petrus abbas cum aliquot e suis monachis et oblato libello conquestus est *quod Liberatus, primæ sedis Byzacenæ episcopus, vim sibi suique monasterii libertati inferret. Quippe hoc cœnobium a monachis, qui ex diversis Africæ locis et de transmarinis partibus convenerant, conditum fuisse sumptu parentum suorum aliorumque religiosorum hominum; atque, a Reparato episcopo Puppianensi provinciæ Proconsularis dedicatum, nulli umquam præterquam primati Carthaginensi paruisse. Carthaginensi sede vacante post Eugenii obitum* (*anno* 505), *quum ordinandi essent ad monasterii usum sacri ministri, se de proximo Bonifatium Gratianensem, primæ sedis Byzacenæ provinciæ episcopum, convenisse, ut, dum ecclesiæ Carthaginensi episcopus indultus fuisset, ex suis qui divina mysteria celebrarent sibi ordinaret. Bonifatio mortuo, Reparatum ejus successorem ex hac ordinatione monachos in jus vocasse, et post audientiæ præfixum diem, post pacificam disputationis facultatem concessam, monasterio suo prorsus immerito excommunicationem intendisse.* LICERE LIBERIS HOMINIBUS SESE, CUICUMQUE DEMUM VOLUERINT, SUBJICERE, NULLA IN CONTRARIUM ADVERSANTE AUCTORITATE. *Exempla etiam sibi patrocinari aliorum monasteriorum, quæ,* OMISSA PROXIMI EPISCOPI SUBJECTIONE, ALTERI ECCLESIÆ SPONTE SESE SUBJECERINT : *ita monasterium de Præcisu, quod in medio Leptiminensis diœcesis situm erat, prætermisso istius sedis episcopo, e longinquo Vico-Ateriensis episcopi subjectionem prætulisse. Baccense item monasterium, quantumvis Maximianensi ecclesiæ vicinum, se contulisse ad primatem Byzacenæ provinciæ. Quin etiam Adrumetinos monachos, prætermisso ejusdem civitatis episcopo, de transmarinis partibus, hoc est de Italia, presbyteros sibi semper ordinari curasse. Non insolens proinde videri debere quod monasterium suum soli primati Carthaginensi subjectum a principio fuisse contendant. Neque obstare quod opponebatur a Liberato, nempe quod a proprio ejus subdiacono, qui primus loci abbas exstiterat, mo-*

nasterium diceret esse fundatum. Non enim præjudicare viventibus mortui hominis personam, QUANDO, ETIAMSI CLERICATUS CONDITIONEM ALICUI DEBUIT, CONDITIO CUM PERSONA DEFECERIT. *Subdiaconum ipsum non fuisse monasterii dominum, cujus tantum dispensationem habuerit; nec, quia subdiaconus, sed quia monachus erat, electum fuisse abbatem. Denique, esto Byzacenæ provinciæ episcopi subdiaconus fuerit, suum certe monachum exstitisse; nec se honoris ecclesiastici, sed sanctissimæ professionis heredes regendo monasterio adoptasse. Proinde obsecrare nihil innovari in suo monasterio, quando nihil a se novum commissum constaret.* Libello subscripsit Petrus abbas cum monachis suis, quorum alii presbyteri, alii diaconi, nomen suum apponunt, alii dicti seniores.

Libello subjiciunt sanctorum patrum dicta, monasteriorum libertatem defendentium. Primum sancti Augustini ex secundo libro seu sermone de Moribus clericorum, ubi agitur de presbytero Leporio, qui monasterium constituerat in horto, nec ecclesiæ, nec suo. Alterum ex eodem etiam sermone, ubi fit mentio de loco, quem honorabilis vir Eleusinus Barnabæ presbytero ad condendum monasterium tradiderat, antequam idem Barnabas ordinaretur presbyter : sed tamen, ne quod monasterii libertati præjudicium ex conditione presbyteri generaretur, mutata instrumenta, ut ne Barnabæ presbyteri, sed monasterii nomine locus possideretur. Tertium instrumentum est Bonifatii episcopi, Byzacenæ provinciæ primatis, epistola ad quasdam moniales, in qua hæc leguntur : *Insinuo semper servorum Dei vel ancillarum monasteria liberum habere arbitrium a conditione omnium clericorum. Quorum priscorum patrum sequentes ritum, etiam vestrum monasterium hoc habere et in vobis manere usque in ævum. Unde per hanc vos auctoritatem duximus commonendas ut licentiam habeatis unde volueritis spiritalem sumere cibum, liberam in omnibus facultatem habentes. Si quis autem contra hoc salubre venire voluerit præceptum, rigorem illico sentiat ecclesiasticum. Ergo, ut superius connexuimus, hanc vobis attribuimus licentiam ut quem velitis vobis corrogetis presbyterum, qui vobis in monasterio peragat sacrosancta et illa quæ ad normam pertinent unitatis celebranda usque in perpetuum.* Postremum documentum est decretum concilii Are

latensis anni 450, seu ut alii volunt anni 455, quo statutum est ut Lirinense monasterium in pristina sua conditione perseveraret, et proin ita semper ab ordinarii potestate liberum exsisteret, ut hic tantum sibi vindicare posset clericorum ordinationem, ab ipso, vel cui ipse injunxerit, faciendam, chrismatis missionem et neophytorum confirmationem; insuper, ut peregrini clerici, absque ipsius præcepto, in communionem vel ministerium non admitterentur : monasterii vero omnis laica multitudo (*id est, totum quasi monasterium, nam multis tantum sæculis post additi fuere fratres conversi, atque his temporibus non ita magnus erat clericorum numerus*), ad curam abbatis pertineret; neque episcopus sibi quidquam ex ea vindicaret aut aliquem ex illa clericum, nisi abbate petente, ordinare præsumeret. Hoc enim et rationis plenum esse et religionis, ut clerici ad ordinationem episcopi, debita subjectione, respicerent : laica vero omnis monasterii multitudo ad solam et liberam abbatis proprii, quem sibi ipsa elegisset, ordinationem dispositionemque pertineret (1).

Recitato coram omnibus Petri abbatis libello, et altero Liberati, quo subobscure abbas ille perstringebatur, Bonifatius Carthaginensis primas palam testatus est se gravate atque indigne ferre, quod Liberatus episcopus de levissimis rebus grave jurgium suscitaret, captataque unius iniquissimæ querelæ occasione, privilegia Carthaginensis ecclesiæ subtrahere moliretur. Assensi sunt etiam alii episcopi, dolentes quod huic sanctæ sedi debitam reverentiam Liberatus denegaret : ac demum, perlectis atque attente expensis omnibus, decretum condiderunt in hunc modum : ERUNT IGITUR OMNIA OMNINO MONASTERIA, SICUT SEMPER FUERUNT, A CONDITIONE CLERICORUM (id est a jurisdictione episcopi) MODIS OMNIBUS LIBERA, SIBI TANTUM ET DEO PLACENTIA.

4 Huic universali concilio Africæ alterum ejusdem generis, Carthagine itidem, sub Reparato, Bonifatii successore, anno 534 habitum, subjungimus. Hic porro nomine totius concilii Felix, episcopus Zactarensis edixit : *De monasterio abbatis Petri, ubi*

(1) In omnibus conciliorum collectionibus reperiuntur Acta concilii Carthaginensis anni 525; sed brevitatis causa summarium Mabillonii fere secuti sumus.

nunc Fortunatus abbas constitutus est, quæ temporibus sanctæ memoriæ Bonifatii in universali concilio, nobis etiam præsentibus, acta sunt, inconvulsa permaneant : CÆTERA VERO MONASTERIA ETIAM IPSA LIBERTATE PLENISSIME PERFRUANTUR, *servatis limitibus conciliorum suorum in hæc* DUMTAXAT, *ut quandocumque voluerint sibi clericos ordinare, vel oratoria monasteriis dedicare, episcopus in cujus plebe vel civitate locus monasterii consistit, ipse hujus muneris gratiam impleat,* SALVA LIBERTATE MONACHORUM, NIHIL SIBI IN EIS PRÆTER HANC ORDINATIONEM VINDICANS, *neque ecclesiasticis eos conditionibus aut angariis,* id est exactionibus. *subdens.* Et subjicit : OPORTET ENIM IN NULLO MONASTERIO QUEMLIBET EPISCOPUM CATHEDRAM COLLOCARE : *aut qui forte voluerint habere, nequaquam permittantur ;* NEC ALIQUAM ORDINATIONEM, QUAMVIS LEVISSIMAM FACERE, *nisi clericorum, si voluerint habere* nempe monasteria. ESSE ENIM DEBENT MONACHI IN ABBATUM SUORUM POTESTATE. *Et quando ipsi abbates de corpore exierint, qui in loco eorum eligendi sunt, judicio congregationis eligantur, nec officium hujus electionis sibi vindicet aut præsumat episcopus. Si qua vero contentio, quod non optamus, inter monachos exorta fuerit,* ABBATUM ALIORUM CONCILIO SIVE JUDICIO FINIATUR : *aut, si scandalum perseveraverit, ad primates uniuscujusque provinciæ universæ causæ monasteriorum judicandæ perducantur. Inter sacrificia vero ordinatores suos tantummodo, id est, episcopos plebium, ubi monasteria sunt, recitent. Hoc enim convenit paci. Confirmatur etiam ab hoc sancto concilio ut sine bono testimonio abbatis vel concessione nullum monachum in aliqua ecclesia teneat ad clericatum vel promoveat ad honorem.*

Ex his colligitur, inquit Mabillonius (1), quem in hac narrationne assidue secuti fere sumus, *eum fuisse per id tempus in Africa usum, quem etiam in Oriente maxime viguisse constat, ut monasteria, in quacumque demum diœcesi vel provincia fundarentur, illius tamen jurisdictioni immediate subjecta essent, cui illa subjicere voluissent fundatores, si modo in prædio libero et ab ecclesiæ principis potestate seu possessione alieno constructa essent.*

(1) Annales Benedict. lib. II, num. 44 num. 19, et seq. Edit. Paris. 1703. 17 et seq. tom. 1, pag. 43 et seq. pag.

Deinde, quum omnibus episcopis vetitum sit in Africæ monasteriis *cathedram collocare, et aliquam ordinationem quamvis levissimam facere*, adeoque quum in formulis plenæ exemptionis, quas recenset Bonifatius VIII, hæc reperiatur (1) : *Vel quod non audeat illic episcopus cathedram collocare, aut imperandi* (*seu ordinationem quamvis levissimam faciendi*) *exercere potestatem* ; liquet omnia Africæ monasteria exempta dicenda esse : quod cæterum vel ex eo liquet quod correctio monachorum primo loco pertineat ad abbatem, secundo loco ad cœtum sex abbatum, et tertio loco ad primatem. Recte itaque Morcelli (2), postquam acta Concilii Carthaginensis anni 525 exposuisset, conclusit : *Ergo ineptire jure videtur sac. Petitus in Pœnitentiali Theodori* (3) *adversus privilegia monachorum.*

Adde clericos, ab episcopis ordinatos, ab his ita dependentes fuisse ut salva tamen esset eorum, qua monachorum, libertas : quod cæterum in sua ordinatione jam caverat S. Hieronymus (4).

Demum vetitum quidem fuisse monachis, ut ab alio quam a diœcesano aut cui hic injunxerit sacros ordines susciperent ; sed tamen non fuisse clausum ostium advocandis presbyteris ex Italia : quod si facerent, independens fiebat monasterium quod pertinet ad res sacras : ut tum ex his conciliis liquet, tum maxime ex negotio S. Hieronymi cum Joanne Hierosolymitano (5).

5 Neque hæc disciplina ita Africæ propria erat ut aliis ecclesiis non esset communis. Non ita est: generalis enim hæc erat libertas, fatente ipsomet Febronio : *A sæculo* V *et tum sæculo* VII.., *liberum erat fundatori alicujus abbatiæ, si laicus erat*, (et similiter, si clericus saltem peregrinus), *et suum novum monasterium non ædificabat in fundo alicujus ecclesiæ, novam fundatio-*

(1) De privilegiis, cap. 10, *Si papa*, in sexto (lib. 5, tit. 7).

(2) Africa Christiana, vol. 3, pag. 261.

(3) Vol. 2, art. 9, pag. 759.

(4) Lib. contra Joannem Hierosolym. ad Pammachium, num. 41 et seqq. Opp. S. Hieronymi edit. Vallarsii, tom. 2, col. 451 et seqq.

(5) Ibid. loc. cit. item. epist. 82 ad Theophilum, num. 8, tom. 1, col. 715 et seqq., item epist. S. Epiphanii ad Joannem Jerosolymit. tom. 2 Opp. S. Epiphanii pag. 312 et seq. Coloniæ 1682.

nem offerre et submittere metropolitano, primati, patriarchæ et sæpius etiam Romano pontifici, qui tunc censebantur ordinarii, in quacumque diœcesi sita erat, quin reclamarent episcopi. Ita Febronius, citatus a Zaccaria (1) seu ejus breviatore.

Christianus Lupus, pristinæ universitatis Lovaniensis et ordinis Eremitarum S. Augustini decus, idem disciplinæ vetustissimæ caput his verbis declarat : *Primitiva,* inquit (2), *olim monasteria non diœcesano sed a se electo episcopo suberant. Eligere poterant quemcumque episcopum etiam remotissimum. Hic illis dabat presbyterum* (seu ex eorum cœtu ordinabat), *et omnia ecclesiastica sacramenta.* EST APUD OMNES ECCLESIASTICÆ ANTIQUITATIS PERITOS RES NOTISSIMA *et lucide patet ex synodo Bonifatii archiepiscopi Carthaginensis. Ex quo vides monachorum a loci episcopo exemptionem esse antiquissimam et vetustis ecclesiæ canonibus non adversari. Ita fuit in Oriente usque ad Chalcedonensem synodum,* et etiam post, ut videbimus.) *In Occidente autem, qui istius synodi canones diu non admisit, ista forma permansit longe diutius.* Similia habent auctores Novi Tractatus de re diplomatica (3) et innumeri alii.

Recte omnino. Sed, ut breves simus, exemplum unum ex Belgio, alterum ex Galliis, tertium ex Italia referemus. Scilicet S. Trudo monasterium suum Sarchiniense, dein S. Trudonis dictum et anno fere 656 inceptum (4), non Tungrensi seu Trajectensi episcopo in cujus diœcesi situm erat, sed Mettensi subjecit : qui status rerum duravit, donec anno 1227 episcopus Leodiensis id jus et municipium S. Trudonis a Joanne Mettensi redemit (5). Similiter S. Reolus Orbacense monasterium, in diœcesi Suessionensi circa annum 681 conditum, antistiti Remensi subdidit (6) : quæ ordinatio ita perseveravit, ut anno tan-

(1) Antifebronius ; Febronius abbreviatus, cap. 7, § 8, tom. 4, pag. 255 edit. Brux.

(2) Exhibit. SS. Canonum stabilita, cap. 3. Opp. posthuma, pag. 753.

(3) Nouveau traité de diplomatique, tom. 5, pag. 107.

(4) Warnkoenig, Hist. du droit Belgique, pag. 189. — Acta *SS.* tom. 12, Octobris, pag. 660.

(5) Mabillonius, Annal. Benedict. lib. 15, num. 21, tom. 1, pag. 465.

(6) Ibid. lib. 17, num. 25, tom. 1, pag. 560.

tum 1239 per compositionem aliquam (1) episcopo Suessionensi concessa sit abbatis benedictio et aliquot alia jura, reliqua jurisdictione archiepiscopo Remensi relicta. Demum Brixiense S. Juliæ seu S. Salvatoris cœnobium, quod anno 759 Desiderius rex Longobardorum fundavit, non Brixiensi episcopo sed patriarchæ Aquilejensi parebat; qui pro sua in id auctoritate anno 772 concessit privilegium *ut cœnobium istud a cujuscumque sacerdotis* (id est episcopi) *ditione exemptum esset*; UT CLERICI EJUSDEM LOCI A QUOCUMQUE ANTISTITE ORDINES SUSCIPERE POSSENT, et alia id genus (2): unde et ipse sibi tantum reservasse videtur potestatem abbatum negligentiæ supplendæ: adeoque sæculo X et etiam tardius id adhuc usitatum erat, ut liquet ex subjectione monasterii Grassani, quod anno 961 in diœcesi Vercellensi conditum, episcopo Taurinensi subjectum fuit (3). Circa idem tempus exempla ejusdem disciplinæ in partibus Germaniæ occurrunt; sed hæc brevitatis causa mittenda videntur, ut memoremus tantum specimen ad sæculum XII pertinens et ab ipsa sede apostolica profectum. Hadrianus nempe VI anno 1155 concessit Rainerio Senensi episcopo *fundum S. Petri*, Montem Bonizi dictum, nunc *Poggibonzi*, in agro Florentino situm, ut ibidem *ecclesiam construeret et constructam sine contradictione aliqua consecraret, clericosque in ea juxta suæ voluntatis arbitrium poneret et libere ordinaret. Statuimus*, subdit, *ut quicumque de tua diœcesi ad locum illum transierint, in omnibus spiritualibus tibi tantum et successoribus tuis debeant respondere, et eamdem, quam prius, habeatis potestatem* (4). Nec mirum, quum ineunte eodem hoc sæculo Paschalis II hanc disciplinam probasset, et quidem canone Corpori Juris (5) inserto: *Abbatibus*, inquit pontifex, *qui neque sub episcopo, neque sub metropolitano*,

(1) Ibid. tom. 1, app. alter. num. 28, pag. 698.

(2) Ibid. lib. 23, num. 52, tom. 2, pag. 195, et lib. 24, num. 43, tom. 2, pag. 224.

(3) Ibid. lib. 46, num. 43, tom. 3, pag. 552

(4) Muratori, Antiq. Italiæ med. ævi, dissert. 69, tom. 14 Opp. col. 195 et seqq.

(5) Can. *Abbatibus*, Caus. 18, quæst. 2. Authenticum habet hunc canonem Benedictus XIV, Bulla *Cusarum palatii*, Bullar. Benedict. XIV, tom. 12, constit. 40, tom. 5, pag. 335 edit. Mechlin.

neque sub primate, neque sub patriarcha sunt, nullus episcoporum episcopalia quælibet administret. Secundum quam constitutionem sufficiebat ut monasterium esset vel *sub patriarcha,* vel *sub primate,* vel *sub metropolitano,* vel *sub episcopo,* et *a fortiori sub papa,* utpote patriarcha totius ecclesiæ latinæ et universæ ecclesiæ capite, ut omnia secundum ordinem comparata essent.

6 In ecclesia Orientali, etiam post concilium Chalcedonense, quod immutationem maximam induxit, eamdem disciplinam in usu fuisse sine negotio ostenditur. Nam circa annum 597 Mauritius imperator et patriarcha Cyriacus, S. Theodorum Siceotam Constantinopoli singulari honore complexi, *monasteriis ejus immunitatem tribuerunt, illudque concesserunt ut nulli alii episcopatui essent subjecta, sed sanctissimæ tantum et magnæ ecclesiæ apostolicæ regiæ ipsius civitatis; ita providente Deo et sancto martyre Georgio opitulante, propter benevolentiam in eos, qui in illis degebant et sacrificabant* (1).

Præterea *se non posse inficias ire* confitetur Thomassinus (2), *quin sæculo jam septimo essent in patriarchatu Constantinopolitano bene multa cœnobia, ab episcoporum diœcesanorum spiritali jurisdictione prorsus absoluta et uni immediate subjecta patriarchæ Constantinopolitano et exarcho patriarchali, quem ille ad omnium omnino monasteriorum administrationem delegabat. Exstat in hanc rem,* sic pergit Thomassinus, *in Jure Orientali* (3) *Constitutio Germani Constantinopolitani patriarchæ, qui hac veluti accensa face præluxit successoribus suis omnibus; sicut et ipse in antecessorum suorum vestigiis insistebat. Hoc vero primum ille profitetur ecclesias, monasteria et oratoria omnia in omnibus patriarchatus provinciis ad patriarchæ immediatam jurisdictionem revocari,... ubi in prima ipsa eorum fundatione crux patriarchalis defixa fuit. Id Græcis dicebatur* PATRIARCHALE STAUROPEGIUM. *Unde si fundatoribus magis adlubesceret monasterium suum patriarchæ subjici* (quam episcopo), *tunc patriarchalis exarchus crucem ipse suam defigebat. Et in*

(1) Act. Sanctor. tom. 3 April. pag. 49, num. 72.

(2) Vetus et nov. eccles. discipl. part. 1, lib. 3, cap. 32, num. 14, tom. I, pag. 734.

(3) Lib. 3, pag. 235.

hujusmodi, sic habet Germani Constitutio, *nihil sit commune regionis antistiti, sive ad sacrorum confectionem, sive ad præfecti designationem, sive ad peccatorum inquisitionem, neque aliud quidquam, usque ad canonicarum illationum exactionem.* Ea omnia exarcho patriarchali servantur integra.

Quum in schisma deciderunt atque ex eo deinde emerserunt Græci, custodiri perrexit hæc vetustissima consuetudo et constitutio, ut habemus ex Balsamone citato a Van Espen (1), et ex epistola quadam Innocentii III de monasteriis patriarchalibus Romaniæ. Præterea, jam ante schisma Photianum, quædam apud Constantinopolim monasteria olim subjecta erant Romano pontifici, ut intelligitur ex Joannis papæ VIII epistola ad Basilium Macedonem imperatorem, cui inter alia gratias agit, *quod monasterium sancti Sergii, intra vestram,* inquit (2), *regiam urbem constitutum, quod sancta Romana ecclesia jure proprio quondam retinuit, divina inspiratione repleti, pro honore principis Apostolorum nostro præsulatui reddidistis.* Deinde trecenta Montis Athos seu Montis Sancti monasteria, quæ *ecclesiarum prælati et imperatores Constantinopolitani pluresque principes sæculares per privilegia sua multa olim tantæ libertatis præeminentia donarant, ut post Deum, cui vos,* inquit Innocentius III ad inhabitantes monachos (3), *volebant libere famulari, nullius umquam essent jurisdictioni subjecta,* censebantur ejusdem pontificis tempore immediate sanctæ sedi subjecta (4) : quæ dein confirmavit idem papa (5). Post redintegratum autem schisma sub immediatam jurisdictionem, non episcopi diœcesani, sed patriarchæ Constantinopolitani devenerunt, qui pro administratione episcopalium, quæ monachis necessaria sint, duos creat archiepiscopos; adeoque novem ex viginti quatuor aut quinque cænobiis, quæ posterioribus temporibus superfuerunt, a quo-

(1) Jus eccles. univ. part. 3, tit. 12, cap. 2, num. 39, tom. 2, pag. 413

(2) Joannis VIII epist. 251, Labbe. Collect. concil. tom. 9,

(3) Lib.16, ep.168, tom.2, pag.829.

(4) Lib.13, epist. 40, tom, 2, pag.424.

(5) Lib. 16, epist. 168, tom. 2, pag. 829.

cumque episcopo ordines et alia, quæ episcopalis muneris sunt, postulare solent (1). Qui usus antiquissimus sit oportet, siquidem in eum jam invehitur Balsamon (2), tamquam priscis canonibus contrarium : sed, ut veteres usus emendantur recentioribus statutis, ita etiam prisca decreta recentiore consuetudine mutantur. Atque his antiquitatem et universalitatem præsentis disciplinæ satis superque ostensam arbitramur.

7 Fundamentum autem illius libertatis repetebatur ex primæva libertate locorum in quibus monasteria fundabantur, ut animadvertit Mabillonius (3) et sex ante eum sæculis B. Petrus Venerabilis. Hic scilicet, monasteria Cluniacensia vindicans ab accusatione quasi acephala essent, simul exponit quo jure proxime subdita essent Romano pontifici : *Respondemus*, inquit (4) *veritati contrarium opposita fronte exsistere ; quoniam patet nos proprium episcopum habere. Quis enim rectior, quis verior, quis dignior Romano episcopo potest inveniri ? Nonne ille est, cui dictum est :* TIBI DABO CLAVES REGNI CÆLORUM, *etc. Hunc unum solum et maximum nos habere episcopum gloriamur, huic soli specialiter obedimus, ab hoc solo , si causa (quod absit) exigeret, interdici, suspendi atque excommunicari possumus. Hæc ipsius sedis irrefragabilis sanxit auctoritas, nec unius tantum, sed multorum decreta inde apud nostram matricem ecclesiam conservantur. Hæc ipsi ita condiderunt,* NON UT HANC, *de qua loquimur,* CLUNIACENSEM ECCLESIAM ALTERI EPISCOPO PRIUS EAM POSSIDENTI AUFERRENT, SED A FUNDATORIBUS, QUI EAM IN PROPRIO ALLODIO CONSTRUXERUNT, ROGATI, IN PROPRIAM RETINUERUNT, *atque soli Romano pontifici eam in æternum decernentes pluribus hoc privilegiis confirmarunt. Hoc non soli Cluniacenses obtinent ; sed et quam pluribus datum cernimus, et* LONGE ANTE CLUNIACUM CONDITUM MULTIS ALIIS MONASTERIIS AB EADEM APOSTOLICA SEDE CONCESSUM CERNIMUS. Ita Petrus Venerabilis : cujus ultima verba etiam notari merentur, quum Cluniacum anno 910 conditum fuerit (5).

(1) Ricaut, Hist. de l'église Grecque, pag. 252 et seqq. Amsterdam 1710.
(2) Allatus a Van Espen, loc. cit.
(3) Annales Ord. S. Benedicti, lib. 54, num. 37, tom. 4, pag. 254.
(4) Ibid. lib. 41, num. 60, tom. 3, pag. 334.
(5) Hefele, Conciliengeschichte, tom. 2, pag. 601.

Hæc vetus disciplina ecclesiastica ; ad quam nonnisi redierunt Romani pontifices, quum noluerunt de jure episcoporum esse monasteria quæ, in loco extructa libero, sedi apostolicæ ab initio proxime fuissent subdita.

CAPUT TERTIUM.

De restricta monachorum libertate.

1. Primæva monachorum libertas primum restringitur a concilio Chalcedonensi.
2. Canon ille initio legitimus non fuit.
3. Quæ jura paulatim episcopi in occidenti consecuti sint.
4. Monumenta quibus S. Gregorius Magnus episcopum jura finiverit.
5. Canon Chalcedonensis recipitur in Hispania et Galliis et inde in universo Occidente.

Quemadmodum supra jam innuimus, primum hæc antiqua libertas, suadente imperatore Marciano (1), anno 451 restricta est canone IV concilii Chalcedonensis. *Improbum Dioscori satellitem et Eutychianorum archimandritam, Barsumam, occasionem huic canoni sanciendo præbuisse docet nos,* inquit Catalanus (2) post Christianum Lupum (3), *actio* IV [*ipsius*] *concilii Chalcedonensis : ibi enim dicitur ipsum non modo occidisse sanctissimum præsulem Flavianum, sed una cum suis adversus episcopos conspiravisse;* adeoque ab eo eversam fuisse totam Syriam, et mille monachos, Eutychetis asseclas, adversus episcopos ab eo ductos fuisse, ut eos e sedibus suis pellerent et monophysitas eis substituerent, quasi universum ecclesiæ regimen penes ipsos fuisset. Quæ et nonnihil indicantur in ipsomet canone quem jam producimus. *Qui vere et sincere,* inquiunt patres (4), *monasticam vitam aggrediuntur, digni convenienti honore habeantur. Quoniam autem nonnulli, monachico prætextu utentes, et ecclesias et negotia civilia perturbant, temere citra ullam discriminis rationem in urbibus circumcursantes, quin etiam monasteria sibi constituere studentes; visum est nullum usquam ædificare nec construere posse monasterium vel oratoriam domum præter sententiam ipsius civitatis episcopi : monachos*

(1) Hefele, Conciliengeschichte tom. 2, p. 601.

(2) Concilia œcumenica illustr. tom. 1, pag. 239.

(3) Synodorum decreta, tom. 2 Opp. part. 2, pag. 69, edit. 1724.

(4) Labbe, Concilia, tom. 4, col. 757.

autem, qui sunt in unaquaque regione et civitate, episcopo subjectos esse et quietem amplecti et soli jejunio et orationi vacare, in quibus ordinati sunt locis fortiter perseverantes ; nec ecclesiasticis, nec sæcularibus negotiis se ingerere vel communicare propria relinquentes monasteria, nisi quandoque a civitatis episcopo propter opus necessarium permissum fuerit ; nullum autem in monasteriis servum recipi ad hoc ut sit monachus præter voluntatem sui domini. Eum autem qui hanc nostram definitionem transgreditur definimus esse excommunicatum : ne nomen Dei blasphemetur. Civitatis autem episcopum oportet eam quam par est monasteriorum curam (seu providentiam necessaria administrando, πρόνοιαν) *gerere.*

Quum vetuisset S. Leo papa (1) ne Chalcedone de aliis rebus quam de fidei dogmatibus ageretur atque canon ille non secus ac viginti septem alii disciplinares (2) ab episcopis græcis, post discessum legatorum studiose vafreque subsistentibus, conditus esset (3) ; vi utique omni et auctoritate carebat ; et quod nunc habet robur multo post a Romanis pontificibus et a conciliis, quantum ab eis renovatus est aut potius usu receptus, accepit. Quod quando in ecclesia latina factum sit valde difficile definire est,

3 Interea hæc paulatim invaluit disciplina ut episcopis liceret abbates sibi subditos corrigere eorumque supplere negligentiam ; deinde ipsa visitare monasteria, appellationes admittere sibique reservare ordinationes aliaque quæ episcopalis sunt ordinis.

Sed errant multumque errant quibus persuasum sit olim jure communi potestatem fuisse episcopis creandi abbates, regendi monachos, ordinandi clericos, utendi eorum opera, administrandi eorum bona, uno verbo superioris regularis implendi munia. Non ita est : neque nunc est, neque umquam fuit hæc episcopis auctoritas ordinaria in religiosos etiam non exemptos. Quæ vel ex his ipsis locis patent quæ afferri solent ad demonstrandam episcoporum potestatem. Hæc itaque prodeant.

Anno 511 concilium Aurelianense I statuit (4) : *Abbates pro*

(1) Epist. 106, cap. 3, epist. 119, cap. 5, tom. I Opp. edit. Ballerin, col. 1163 et 1217.

(2) Hefele, Conciliengeschichte, tom. 2, pag. 596.

(3) Cfr Catalanus, Concil. œcum. illustr. tom I, pag. 239.

(4) Harduini Acta Concil. tom. 2, col. 1011.

humilitate religionis in episcoporum potestate consistant ; et, si quid extra regulam fecerint, ab episcopis corrigantur : qui semel in anno in loco, ubi episcopus elegerit, accepta vocatione, conveniant. Monachi autem (vox *autem* oppositionem indicat ad abbates, qui episcopis subjiciebantur), *monachi autem abbatibus omni se obedientiæ devotione subjiciant. Quod siquis per contumaciam exstiterit indevotus, aut per loca aliqua evagari aut peculiare aliquid habere præsumpserit ; omnia quæ acquisierit ab abbatibus auferantur, secundum regulam monasterio profutura. Ipsi autem, qui fuerint pervagati, ubi inventi fuerint, cum auxilio episcopi tamquam fugaces sub custodia revocentur. Et reum se ille abbas futurum esse cognoscat, qui in hujusmodi personas non regulari animadversione distrinxerit, vel qui monachum susceperit alienum.*

Concilium Aurelianense II anno 533 auctoritatem asseruit episcopis, qua sanctio canoni illi accederet. Statuit itaque (1) : *Abbates, qui episcoporum præcepta despiciunt, ad communionem nec penitus admittantur, nisi contumaciam, suscepta humilitate, deponant.*

Canon II concilii Arelatensis V anni 554 constituit (2) : *Ut monasteria vel monachorum disciplina ad eum pertineant episcopum, in cujus sunt territorio constituta*, non vero ad alium episcopum, ut observabatur in Africa et dein, etiam post hoc concilium Arelatense, nonnumquam in Gallia, Belgio et Italia ; adeo ut hic canon vim legis non habuerit.

Concilium Vernense anni 755 decrevit (3) : *Ut monasteria tam virorum quam puellarum secundum ordinem regulariter vivant; et, si hoc facere contempserint, episcopus in cujus parochia* (id est diœcesi) *esse videntur, hoc emendare debet; vel, episcopo non valente, metropolitanus ; vel denique synodus, quæ bis singulis annis fieri præcipitur. Si vero illi synodum non audierint, aut honorem suum perdant, aut excommunicentur ; et tales in eorum loco in ipsa synodo constituantur cum voluntate regis et consensu servorum Dei*, id est aliorum monachorum, QUI IPSUM GREGEM SECUNDUM ORDINEM SANCTUM REGANT (4). Ex quibus ultimis verbis

(1) Can. XXI, Harduini Act. Concil. tom. 2, col. 1176.

(2) Harduini Act. Concil. tom. 3, col. 328.

(3) Can. V, Harduini Act. Concil. tom. 3, col. 1995.

(4) Cfr. Mabillonius, Annal. Benedict. lib. 23, num. 18, tom. 2 pag. 176.

liquet totum hunc canonem ad supplendam negligentiam abbatum pertinere.

Demum concilia Arelatense VI anni 813 et Aquisgranense II anni 836 hortantur episcopos ad disciplinam regularem in monasteriis promovendam, decernitque Aquisgranense abbates et priores cellis præpositos (ut ex contextu colligitur) episcopis mancipandos esse.

4. Celebris etiam est epistola S. Gregorii Magni ad Vitalem, defensorem Sardiniæ, qua potissime cautum est, ne monasteria opprimerentur. En textus integer S. Gregorii, prout in ejus Regesto (1) et in Decreto Gratiani (2) occurrit : *Cognovimus etiam quod monasteria servorum Dei vel etiam feminarum pro suo quisque libitu et diversarum causarum exsecutione perturbent : quod omnino graviter suscepimus, tuamque experientiam ex hoc commonemus ne quemquam hoc usurpare denuo accepta nostra auctoritate permittas : sed episcopis loci, sub cujus degunt moderamine, curæ sit eorum causas utilitatesque disponere. Valde enim est incongruum ut, omisso eo, alius quilibet eorum causis se admisceat ; sed ille eorum vitam competenti regularique debet moderatione disponere, qui pro commissis eorum sibi animabus compellitur reddere rationem.*

Proferri item solet altera S. Gregorii Magni epistola, quæ multo magis valet ad cohibendam quam ad extendendam episcoporum auctoritatem. Exorditur eam S. Gregorius effundendo querelas de illatis ab episcopis Ravennatensibus Classitano monasterio gravaminibus, et dein sequentia præcipit (3) : *Nullus igitur ultra audeat de reditibus vel chartis prædicti monasterii, vel de loco aliquo, qui ad ipsum pertinet, quocumque modo qualibet exquisitione minuere, nec immissiones vel dolos aliquos facere, sed siqua forte causa inter Ravennatem ecclesiam et præfatum monasterium evenerit, et pacifice non potuerit ordinari, apud delectos a partibus timentes Deum, sine voluntaria dilatione, mediis sacrosanctis Evangeliis, finiatur. Defuncto vero*

(1) Lib. 9, epist. 64, Opp. tom. 2 col. 981.

(2) Caus. 18, q. 2, cap. 19, *Cognovimus*.

(3) Ad Marinianum Ravennatensem episc. lib. 8, ep. 15, Opp. S. Gregorii M., tom. 2, col. 905 et seqq.

abbate, non extraneus nisi de eadem congregatione, quem sibi propria voluntate congregatio elegerit, et qui electus fuerit sine dolo vel venalitate aliqua ordinetur : quod si aptam inter se personam invenire nequiverint, solerter de aliis monasteriis sibi similiter eligant ordinandum. Neque venienti abbati quæcumque persona qualibet occasione in suo monasterio præponatur, nisi forte exstantibus (quod absit) criminibus, quæ sacri canones punire monstrantur. Pariter autem custodiendum est, ut, invito ejusdem monasterii abbate, ad ordinanda alia monasteria, aut ad ordines sacros vel clericatus officium tolli exinde monachi non debeant. Sed, si abundantes fuerint et ad celebrandas Dei laudes vel utilitates monasteriorum complendas sufficiant, abbas cum devotione de his, qui superfuerint, offerat, quos dignos coram Deo invenire potuerit. Quod si sufficienter habens dare noluerit, tunc Ravennas episcopus ad ordinanda alia monasteria de his, qui supersunt, tollat. Ad ecclesiasticum tamen officium nullus exinde producatur, nisi quem abbas loci admonitus propria voluntate obtulerit. Quisquis autem ex prædicto monasterio ad ecclesiasticum ordinem (foris obeundum) *pervenerit, ulterius illic nec aliquam habeat potestatem, nec licentiam habeat habitandi. Observandum quoque est, ut descriptio rerum aut chartarum ejusdem monasterii ab ecclesiasticis fieri non debeat, siquando res exigit: sed abbas loci cum abbatibus aliis rerum inventarium faciat. Quoties autem pro utilitate monasterii sui ad Romanum pontificem abbas venire vel transmittere forte voluerit, ei modis omnibus liceat. Præterea cum episcoporum adventus desideranter a monasteriis debeat exspectari, quia tamen hospitandi occasione prædictum monasterium temporibus decessoris vestri nobis fuisse nuntiatum est prægravatum : oportet ut hoc sanctitas vestra decenter debeat temperare, ut visitandi exhortandique gratia ad monasterium, quoties placuerit, ab ejusdem civitatis antistite accedatur. Sed sic caritatis officium illic episcopus impleat, ut gravamen aliquod monasterium non incurrat. Vestram vero fraternitatem prædictus abbas non solum non metuit ad monasterium frequenter accedere, sed etiam desiderabiliter concupiscit : sciens quod per vos substantia monasterii omnino gravari non possit. Data* etc.

Hæc itaque per canones legitima auctoritas pedetentim epi-

scopis in religiosas domos asserta est; sed, ut fit, complures illi se non continuerunt, sibi omnia in monasteriis licere arbitrati. Cujus rei plena est historia monastica. Exemplum unum accipe.

5 Circa annum 540 penetrarat in Hispaniam canon IV concilii Chalcedonensis, ut liquet ex concilio Barcinonensi I : *De monachis vero,* hæc patrum sunt verba (1), *id observari præcipimus quod synodus Chalcedonensis constituit.* Hinc paulatim sibi persuaserunt episcopi Hispani nonnulli monasteria rem esse suam, monachos quasi servos et rem familiarem sibi patere. Hinc, ut concilium Toletanum IV anni 633 loquitur (2), *nuntiatum est præsenti concilio, quod monachi episcopali imperio servili operi mancipentur, et jura monasteriorum contra constituta canonum illicita præsumptione usurpentur; ita ut pæne ex cœnobio possessio fiat, atque illustris portio Christi ad ignominiam servitutemque perveniat. Quapropter,* sic pergunt patres Toletani *monemus eos, qui ecclesiis præsunt, ut ultra non præsumant; sed hoc tantum sibi in monasteriis vindicent sacerdotes* (id est episcopi), *quod præcipiunt canones, id est, monachos ad conversationem sanctam præmonere, abbates aliaque officia instituere, atque extra regulam facta corrigere. Quod si aliquid in monachis canonibus interdictum præsumpserint, aut usurpare quippiam de monasterii rebus tentaverint, non deerit ab illis sententia excommunicationis, qui se deinceps nequaquam sustulerint ab illicitis.*

Anno 789 per capitulare Aquisgranense primum (3) in Gallia quoque receptus est canon Chalcedonensis IV, et jam antea in synodo Vernensi anno 755 episcopis potestas facta erat (4) *in sua parochia tam de clero quam de regularibus vel secularibus ad corrigendum et emendandum secundum ordinem canonicum spiritualem, ut sic vivant qualiter Deo placere possint;* negata tamen censuras ferendi facultate.

Quæ omnia siquis libero animo considerare velit, non poterit non concedere hanc olim episcopis fuisse auctoritatem in mona-

(1) Gonzalez, Collectio canonum ecclesiæ Hispanæ, col. 656.

(2) Labbe, Concilia, tom. 5, col. 1717.

(3) Cap. 22, Baluzii Capitularia regum Franc. tom. 1, col. 222.

(4) Ibid. tom. 1, col. 169.

steria non exempta ut abbates præmonere possent eisque jubere ut regularem disciplinam sartamtectam servarent, per abbates monachorum delicta emendare, operamque negantium supplere negligentiam, adeoque visitationem instituere canonicam; verbo hanc eis fuisse potestatem qualem olim in episcoporum suffraganeorum diœcesibus exercere potuerunt metropolitæ; sed, ut his prætextu jurisdictionis suæ archiepiscopalis regere non licebat subditas diœceses, sic nec episcopis licere aut licuisse monasteria non exempta gubernare.

CAPUT QUARTUM.

De commentitia auctoritate œconomica episcoporum.

1. Falso pauci aliquot dixerunt obedientiam regularem deberi episcopo sicut et abbati.
2. Obedientia enim hæc est æconomina seu domestica, non autem canonica seu ecclesiastica.
3. Episcopi curare possunt et debent ut regulares sibi subditi fungantur officiis suis, ut laici suis, sed propterea non habent auctoritatem domesticam.
4. Monasteria puellaria Hispanica et Belgica, quæ episcopos constituerunt superiores domesticos seu regulares, eis debent obedientiam regularem.

Sed quoniam vetus disciplina ecclesiastica, maxime monastica, parum nota est atque ita comparati sunt homines, ut quod cupiunt ita esse facile sibi in animum inducant, non inutile erit singillatim capita aliquot expendere.

Volunt itaque religiosos non exemptos vi voti obedientiæ obedire debere episcopo, ita ut ipse sit eorum superior proximus et regularis ; et tribus argumentis nituntur : scilicet episcopos posse in sua diœcesi quiquid possit Romanus pontifex in ecclesia, nisi eorum potestas reservatione apostolica restricta sit; atqui Romano pontifici vi voti obedire debere religiosos in his quæ regulæ conformia sunt, neque in hac parte restrictionem apostolicam intervenisse. Dein superiores non exemptos jurisdictionem non accepisse a Romano pontifice, sed ab episcopo, adeoque fonti jurisdictionis parendum potius esse quam rivo. Demum, nisi religiosi obedire debeant episcopo in his quæ pertinent ad regulam, eos ab ejus jurisdictione fore absolute exemptos, licet constet eos exemptos non esse.

Sed argumenta illa nequaquam efficacia sunt. *Ad I*, inquit Schmalzgrueber (1), *imprimis regula illa multas alias restrictio-*

(1) Clerus sæcularis et regularis, tit. 35, num. 62, tom. 2, pag. 192.

nes patitur; respectu regularium autem aperte non procedit, ut patet in ipsorum votis, quæ omnia pontifex irritare potest, non autem episcopus. Ad II argumentum : illud solum probat quod regulares non exempti subjiciantur episcopo tamquam clerici et personæ et ex vi jurisdictionis quoad disciplinam ecclesiasticam, non vero quoad observantiam regularem, et ex vi voti obedientiæ. Ad III : per hoc quod ex vi voti non teneantur obedire episcopo non fiunt exempti; nam adhuc jurisdictioni illius subsunt, quam etiam in eos exercet tum quoad alios actus proprios jurisdictionis, tum etiam quoad correctionem et disciplinam regularem, si in hac prælatus sit negligens.

Quæ quum caduca omnino sint et vana, *verius*, inquit idem ille Schmalzgrueber (1), *hujusmodi regulares non exempti, si episcopo, tamquam proprio suo prælato, non specialiter obedientiam voveant, ad ipsi obediendum ex vi voti obedientiæ non tenentur. Ita Innocentius* [*papa IV*](2), *Abbas* (3), *Sylvester* (4), *Sanchez* (5), *Laymann* (6), *Pirhing* (7), *Wiestner* (8), *allegantes S. Thomam*(9). *Ratio est quia hujusmodi regulares obedientiam promittunt non episcopo, sed abbati, et hujus, non illius, regimini se submittunt. Confirmatur: si episcopo potius quam abbati suo obedire deberent vi voti, episcopus ipsos, etiam non consulto abbate ipsorum, ordinare posset. Non potest autem episcopus ordinare ipsos, nisi de abbatis sui voluntate* (10).

2 Sed paulisper altius ascendendum est. Quum christianus vitam religiosam in cœnobio profitetur, semet ipse dat mancipatque monasterio aut ordini. Unde, si famulus, discipulus aut novitius, eo quod familiæ, scholæ aut tirocinio adscripti sunt, hero, magistro et superiori obedientiam ita debeant ut, si in re gravi eam negent, peccati mortalis se reos faciant, sic quoque religiosus, eo quod pars domus est quæ sine imperio subsistere non possit, superiori obedire debet, quicumqne legitime constitutus sit. Quod officium, a natura rerum natum voti nuncupatione consecrat; ita

(1) Ibid. num. 61.
(2) In c. *quanto* 7, de offic. ordin.
(3) Ibid. n. 5.
(4) V° *obedientia* 9. 8.
(5) Lib. 6 Moralium, cap. 1, num. 12.
(6) Lib. 4, tr. 5. cap. 9, n. 3, v. *tertio*.
(7) De off. ord. n. 58.
(8) De statu monach. n. 64.
(9) 2. dist. 44, fin. in exposit. lit. ad 3.
(10) Can. Nullus 1, et can. fin. dist. 58.

ut naturale illud debitum violare non possit, quin peccato inobedientiæ addat sacrilegium aut religionis profanationem : quemadmodum filii familias quoque, servi et discipuli, quum voto confirmant se fideliter obedituros, sibi obediendi necessitatem non creant, sed antecedentem legem, jure naturæ impositam, sibi ita servandam esse statuunt ut ab ea recedere non possint, quin non solum contumaces sint, sed et sacrilegi. Adeo ut nec superiorum auctoritas neque inferiorum subjectio initium a voto ducant, sed majorem inde dumtaxat firmitatem, nequaquam extensionem, accipiant.

Relationes itaque quæ inter religiosum et superiorem regularem exsistunt sunt omnino domesticæ seu œconomicæ (1), quales inter filium et patrem, famulum et herum, discipulum et magistrum; nihilque commune habent cum jurisdictione quæ est *facultas alicujus habentis publicam auctoritatem et eminentiam super alios ad eorum regimen et gubernationem*. Hinc nihil obstat quin feminæ, quæ communi doctorum sententia jurisdictionem ecclesiasticam habere non posse censentur, superiores regulares sint. Quod si viri, qui monasteriis præsint, excommunicandi potestatem, quæ jurisdictionis pars est, habeant, hæc ex domestico eorum imperio naturaliter non proficiscitur, sed ab ecclesia addita est, quo effacius munere suo fungi possint. Sic impedimentum nullum est quin magistris tribuatur facultas censuris coercendi scholares ; sed hæc non ex officio orietur, sed a concedentis voluntate derivabitur.

Quodsi superiorum regularium auctoritas domestica est, eam episcopus non plus habet quam parentum auctoritatem paternam, dominorum herilem, scholasticam magistrorum. Jurisdictione sane uti potest ut superiores regulares eorumque subditos monitis, minis aliisque juridicis viis ad munia sua exsequenda inducat aut cogat; sed et similiter parentes et filios, heros et famulos, magistros et discipulos officii sui commonefacere potest atque ad faciendum impellere, quin propterea filiis imperare possit ut pater, famulis ut herus, discipulis ut magister. Quæ

(1) Cfr. Suaresius, de Religione, lib. 6, cap. 2, num. 25, tom. 2, pag 252.

manifestissima S. Thomæ Aquinatis (1) doctrina est. Ex textu scilicet Magistri Sententiarum deduxerat sanctus doctor *magis obediendum majori potestati quam minori.* Adversus quam propositionem plures dein movet difficultates, quas inter hæc est : *Abbates monasteriorum subduntur episcopis, nisi sint exempti; ergo potestas episcopi est major quam potestas abbatis. Sed* MONACHUS TENETUR PLUS OBEDIRE ABBATI QUAM EPISCOPO; *ergo non semper majori potestati obediendum est magis.* Ad quam difficultatem, ubi manifeste agitur de monacho non exempto, respondet sanctus doctor : *Ad tertium dicendum quod* MONACHUS MAGIS TENETUR OBEDIRE ABBATI QUAM EPISCOPO IN ILLIS QUÆ AD STATUTA REGULÆ PERTINENT; *in his autem quæ ad disciplinam ecclesiasticam pertinent, magis tenetur episcopo, quia in his abbas est episcopo suppositus.*

3. Alia itaque omnino est jurisdictio episcopalis, alia auctoritas superioris regularis; hæc exerceri debet secundum regulam, illa secundum canones ecclesiasticos : neutra quippe est infinita. Quod enim episcopo curæ esse debet salus et perfectio suorum diœcesanorum, hinc omnino non sequitur eum posse omnia quæ sibi ad id conducere posse videantur. Celebris est illa episcopi confidentia qui propter salutem sibi visus est facere posse testamenta pia pro iis qui intestati decesserant; quæ ausa, utpote quæ nullo jure niterentur, irrita fecit sedes apostolica. Et, quamquam nobis propositum non est jurisdictionis episcopalis fines circumscribere, nemo profecto negabit tutum non esse eam ultra limites extendere positos a patribus, et homines resque omnes gubernare velle secundum regulam majoris boni : quæ plerumque in solo arbitrio consistit. Quam itaque jurisdictionem in laïcos sæculares habent episcopi, eamdem habent in laicos religiosos non exemptos; et quam in clericos sæculares, eamdem in clericos religiosos non exemptos. *Cæterum,* addit Laymannus (2), *si prælatus monasterii non exempti negligens sit in regulari disciplina conservanda et quotidianis lapsibus puniendis, nemo dubitat ad episcopum pertinere jurisdictionis hujus exercitium. Nam ob*

(1) 2. dist. 44, q. 2, art. 3.

(2) Commentarius in tres lib. decret. lib. 1, tit. 31, cap. 7, tom. 1, pag. 710.

eam causam monasteria visitat, et inquirit utrum regula ordinis observetur, morum ac disciplinæ integritas vigeat : alioquin frustranea ferme esset subjectio monasteriorum erga episcopum, nisi tali potestate præditus esset.

4. Hæc de jure communi. Verum quum cœtui cuicumque voluntario seu collegio (non autem naturali seu familiæ) quivis secundum receptas leges præponi possit, post concilium Tridentinum pleraque singularia monasteria feminarum, quæ scilicet jurisdictioni nullius ordinis suberant, in diœcesi Mechliniensi (1) et in Hispania (2) agnoverunt episcopos diœcesanos non ut prælatos tantum jurisdictione ordinaria munitos, sed ut superiores proximos, domesticos seu regulares; ita ut moniales religiosam obedientiam voverent ipsi episcopo, qui in eas uti posset non solum jurisdictione episcopali sed et auctoritate œconomica. Ad quam formam institutæ fuerunt congregationes aliquot recentiores monialium, in quibus item episcopo religiosa promittitur obedientia. Sed hæc adeo immodica et a communibus legibus aliena sunt, ut sacra congregatio episcoporum et regularium, quum ei harum societatum regulæ probandæ oblatæ sunt, sæpius voluerit similia statuta expungi; melius esse arbitrata si episcopi ordinaria sua jurisdictione contenti sint.

(1) Haeftenus, Disquis. monast. lib.4, tr. 5, disq., pag. 409:

(2) Suaresius, de Religione, lib. 10, cap. 11, num. 15, tom. 3, pag. 592 Cfr. Laymann, Theologia moralis, part. 2, lib. 4, tr. 5, cap. 9, num. 3.

CAPUT QUINTUM.

De jure eligendi superiores regulares.

1. Aliqui jure, in fundatione sibi reservato, alii sacrilega usurpatione designarunt et instituerunt abbates.
2. Sed jure communi elegerunt monachi omni tempore suos abbates.
3. Explicatur canon LI concilii Toletani IX.
4. Quid posset episcopus, si deponendus videretur abbas.

Putant etiam nonnulli electionem superiorum olim non fuisse penes monachos; neque liberam; sed de jure communi episcopos designare potuisse superiores, adeo ut nonnisi per singularia privilegia facultas designandi sui abbatis monachis facta sit. Sed a veritate aberrant omnino.

Re quidem vera, quum olim summa esset libertas apponendi fundationibus piis quæ fundatoribus placerent conditiones, si episcopi in prædio suo aut principes nobilesque in fundis dominicalibus novum erigerent monasterium, licebat eis sibi successoribusque suis reservare jus creandi abbatis; quo jure si non uterentur, regulæ omnes, canones conciliorum et Romanorum pontificum literæ clamant liberam esse debuisse electionem abbatum. Quum autem sæpe fieret ut, si nihil statutum esset, fundatores eorumve hæredes niterentur jure patronatus, maxime si monasteriorum dos in bonis dominicalibus consisteret, sibi jus eligendi abbatis arrogare : inde, experientia duce, factum est ut prudens consilium videretur si in fundationibus aliisque diplomatibus, privilegiis nuncupatis, monachis diserte et dilucide assereretur abbatis eligendi libertas, non quod hæc eis non esset de jure ordinario aut communi, sed ne violaretur a principibus sæcularibus aut ecclesiasticis.

2. Atque hæc quæ in propatulo sunt neque sine dedecore negari possunt, suntne confirmanda testimoniis? Sed ipsum corpus juris canonici iis abundat. In secunda parte Decreti Gratiani

ex concilio Moguntino legitur (1) : *Abbas pro humiliatione et cum permissione episcopi locum suum potest relinquere : tamen eligant sibi fratres abbatem de ipsis, si habent; sin autem, de extraneis.* Et in decretalibus Gregorii papæ IX (2) inducitur Andrensis monachus *asserens tam* DE JURE COMMUNI, *quam de privilegio speciali eis ab Alexandro papa concesso et a nobis* (inquit Innocentius) *confirmato, liberam eligendi auctoritatem ad eosdem fratres tantummodo pertinere;* ad quæ quum Karofenses objicerent fuisse *longe retroactis temporibus observatum ut, monasterio Andrensi vacante, Andrenses fratres in Karofensi capitulo aliquem de gremio monasterii Karofensis sibi in abbatem eligerent,* mandavit Innocentius papa III (nam ad eum lis delata erat) *quatenus, si ex parte Karofensis cœnobii talis fuerit consuetudo probata,* QUÆ JURI COMMUNI PRÆJUDICET, *in hac parte vos secundum illam decernatis electionem Andrensis abbatis de cætero faciendam; alioquin Andrensibus monachis jus eligendi abbatem adjudicare curetis : ut sic de cætero liberam habeant facultatem de gremio ecclesiæ suæ vel etiam aliunde per electionem canonicam eligendi personam idoneam in abbatem* : adeo certum est de jure communi competere monachis liberam abbatis sui electionem!

Neque hoc jus commune per Decretales aut Decretum Gratiani introductum est: sed originibus vitæ monasticæ coævum est : quod vel patet ex concilii Arelatensis anni 455 judicio in causa Theodori, episcopi Forojuliensis, et B. Fausti, abbatis Lirinensis. Quod judicium anno 525 in concilio Carthaginensi recitatum fuisse et comprobatum supra (3) diximus, et quo eum esse debere abbatem statuitur *quem sibi* monachorum *multitudo elegisset.* Super quæ verba Mabillonius brevem commentarium adjecit quo præsens quæstio quasi definiatur : *Ad hæc,* inquit (4), *libera abbatis electio monachis asseritur; quod non primum a Leontio episcopo concessum, sed ab ipsis cœnobialis vitæ primordiis in more positum fuit, naturali æquitate dictante ut suum quævis*

(1) *Abbas* 8, 2. caus. 18, q. 2.

(2) C. *Cum dilectus*, de consuetudine (lib. 1, tit. 10.)

(3) Vide supra pag. 21.

(4) Annales Benedict. lib. 1, num. 44, tom. 1, pag. 19.

familia superiorem eligeret. Sic in monasteriis Pachomianis ab initio, sic in aliis omnibus subinde usus obtinuit. At quum nonnulli præpotentes, sive episcopi, sive sæculares, jus instituendi abbatis sibi tribuerent; obtenta sunt ad revincendam eorum potentiam privilegia a regibus et pontificibus Romanis, quæ antiquam monachorum libertatem tuerentur, non jus adventitium tribuerent.

Sed Thomassinus, qui ardore *stabiliendi magis magisque auctoritatis et jurisdictionis antiquissimæ episcoporum in monasteria,* ut ipsemet loquitur (1), se ita abripi passus est, ut in manifesta paradoxa judicio Maurinorum (2) inciderit, his passim (3) refragatur; sed hoc loco ne sequacem quidem habuit Espenium(4), infensissimum religiosorum libertatis hostem, qui in media luce caligare noluit. Tradit itaque Thomassinus, *altius rei origine repetita, episcoporum fuisse abbates deligere et ordinare; attamen non multo post monasteriis ipsis permissam esse abbatum electionem, privilegio quidem, sed quod statim et pervagatissimum et juris communis fuit.* Sed his plane adversatur testimonium Cassiani, qui laudans stabilitatem disciplinæ, quæ per universam Ægyptum et Thebaidem servabatur, clare indicat majorum seu abbatum electionem a monachis fuisse factam (5), quod etiam constat ex canonibus concilii I Nicæni, apud Arabes conservatis (6). Præterea in nulla omnino regula mentio fit electionis abbatis seu majoris faciendæ ab episcopo; sed regula S. Benedicti aperte eam attribuit monachis (7), et in aliis regulis ita id certum fixumque supponitur, ut nulla proprie mentio fiat de ipsa electione, sed de *eligendi* tantum dotibus (8). Quibus

(1) Vet. et nov. discipl. eccles. part. I, lib. III, cap. 20, tom, I, pag. 725.

(2) Nouveau traité de diplomatique, tom. 5, pag. 109.

(3) Vet. et nov. discipl. part, 1, lib. 3, cap. 65, num. 3, tom. 1, pag. 845; lib. 3, cap. 26, num. 19, pag. 717; lib. 3, cap. 29, num. 8, pag. 726; lib. 3, cap. 32, num. 2, pag. 735 et alibi.

(4) Jus eccles. univ. part. 1. tit, 31, cap. 9, tom. 1 Opp. pag. 328.

(5) Institution. lib. 2, cap. 3, Codex regularum Holstenii edit. Brockie, tom. 2, pag. 10 et seq.

(6) Labbe, Collect. concil. tom. 2, col. 315.

(7) Cap. 64, Codex regular. tom 1, pag. 133.

(8) Cfr. Regula S. Columbæ, seu cujusdam patris, num. 19, ibid. pag. 223; Regula communis S. Fructuosi, cap. 3, ibid. pag. 210, etc.

accedit sanctio Justiniani imperatoris, qua nequaquam statuitur episcopos non *amplius* posse constituere abbates, sed corrigenda indicitur norma, qua qui tempore antiquissimus erat, aut secundus ab eo, eligebatur, nulla habita virtutis ratione, sed tantum temporis; quocirca decernit ut deinceps monachi maxime idoneum eligant (1). Mitto plures pontificum epistolas et conciliorum canones, quos exstare non diffitetur Thomassinus; siquidem id brevi jus commune factum esse concedat.

3 Unus canon LI concilii Toletani IV anni 633, pridem (2) adeoque ipsi Gratiano (3) difficultatem facessit. In eo enim monentur episcopi, *ut hoc tantum sibi in monasteriis vindicent*, QUOD PRÆCIPIUNT CANONES, *id est monachos ad conversationem sanctam præmonere*, ABBATES ALIAQUE OFFICIA INSTITUERE, *atque extra regulam facta corrigere*. Sed omnis difficultas evanescit, si cum Mabillonio (4) per vocabulum *instituere* idem intelligitur ac *ordinare* seu *benedicere;* atque ita intelligendum esse facile comprobatur. Præsidebat enim huic concilio S. Isidorus Hispalensis, *ex cujus regula*, ut loquitur Mabillonius (5), *et ut ex capite* II, *quod est* DE ELIGENDO ABBATE (6), *liquet, electio penes monachos erat :* unde, quum hic omnia peragenda statuantur *secundum canones*, dicendum esset S. Isidori regulam canonibus adversatam, neque intelligeretur quomodo hoc secundum regulæ suæ caput, saltem post concilium Toletanum, non expunxisset. Idemque dixerim de duabus S. Fructuosi Bracarensis episcopi regulis, paulo post concilium Toletanum conscriptis (7), et per quas electio abbatis similiter penes monachos erat (8). Præterea in Hispania tunc legebatur regula S. Benedicti, ut nitide ostendit

(1) L. 47. Cod. de episcopis et clericis. (Lib. 1, tit. 3.)

(2) Ascan. Tamburinus, de jure Abbatum, disp. 5, quæst, 1, tom. 1, pag. 34, edit. Lugdun.

(3) Decretum, caus, 18, quæst, 1, cap. 1 et 8.

(4) Annales Bened. lib. 12, num. 40, tom! 1, pag. 362.

(5) Ibid. loc. cit.

(6) Codex regularum tom. 1, pag. 188.

(7) Cfr. Mabillonius, Ann. Bened. lib. 13, num. 41 et seq. tom. 1, pag. 397 et seq.

(8) Reg. monach, cap. 20, Cod, regul. tom. 1, pag. 206; Regul. commun. cap. 1 et seqq. pag. 209 et seq. Cfr. Mabillonius, loc. cit.

Mabillonius (1), neque ibidem incognitæ esse potuere tum plures summorum pontificum, maxime S. Gregorii Magni (2), epistolæ, abbatis electionem monachis tribuentes, tum canones Carthaginenses et Arelatenses, idem omnino statuentes. Ex quibus manifeste deducitur, nisi quis apertæ contradictionis incusare velit Toletanum canonem, per *institutionem* abbatis aliorumque officiorum intelligendam esse *ordinationem* seu benedictionem, aut forsan etiam *confirmationem*.

Non tamen est quod nonnulli in Hispania postmodum exstiterint episcopi qui sibi vindicarint electionem, adeoque longius progressi, non monachos præficerent monachis sed extraneos. Constat enim id ex concilio Toletano X anni 656, cujus canon in hæc habet (3) : *Reverentiæ totius auditu percipiatur, quia res adeo dura non frustra cogitur hac duriori exstirpari censura. Agnovimus enim quosdam pontifices præcepti principis apostolorum, qui ait :* PASCITE, QUI IN VOBIS EST, GREGEM, NON COACTE SED SPONTANEE, NEC DOMINANTES IN CLERO, SED FORMA FACTI GREGIS, *ita esse immemores, ut quibusdam monasteriis parochialibusque ecclesiis aut suæ consanguinitatis personas aut sui favoris participes iniquum sæpe statuant in prælatum, ita illis providentes commoda inhonesta, ut eisdem deferantur, aut quæ proprio episcopo dare justus ordo poposcerit, aut quæ rapere deputati exactoris violentia potuerit.* Quæ ne deinceps fiant sub gravissimis prohibetur pœnis : ast satis incassum, quum ex hac prima mali labe orti sunt abbates laici seu commendatarii (4).

4 Negari tamen non posse videtur episcopo licuisse ut sibi reservaret constitutionem abbatis, quum hujus prædecessor criminis reus ageretur. Habet enim concilium Epaonense, anno 517 aut 518 in provincia Viennensi celebratum (5) : *Abbas si in culpa reperiatur aut fraude, si innocentem se asserens ab episcopo suo accipere noluerit successorem, ad metropolitani judi-*

(1) Ann. Bened. lib. 3, num. 37, tom. 1, pag. 74.

(2) Lib. 2, epist. 41, tom 2 Opp. col. 602 et seq. epist. 42, col. 604, lib. 3 epist 23, col. 671, etc.

(3) Pueyo, Collect. maxim. Concil. Hispan. part. 1, pag. 158 et seq.

(4) Mabillonius, Annal. Bened. lib, 14, num. 42, tom. 1, pag. 436.

(5) Can. 19, Labbe, Collect. concil. tom. 4, col. 1578.

cium deducatur; atque in eamdem sententiam Benedictus XIV (1) interpretatur posteriorem partem capitis LXIV regulæ S. Benedicti (2). Quæ disciplina sæculo XI adhuc in Gallia viguisse videtur (3). Insuper diu gavisi sunt episcopi jure dandi sui ad electionem consensus, eamdemque confirmandi (4), adeoque electo elargiendi benedictionem seu ordinationem abbatialem (5).

Jam si ratio quæritur, cur id, quod ex jure communi debebatur monachis, inscriberetur privilegiis, præstantissimi scriptores respondent, id factum fuisse, quoniam episcopi aliique magnates pro libitu sibi arrogabant vel seipsos abbates constituere, vel amicos aliosve abbatiali baculo donare (6); cui rei diutius non inhæremus, quum ex modo citato concilio Toletano X manifesta sit.

(1) Bulla *Causarum palatii*, Bullarium Benedicti XIV, tom. 2, const. 40, vol. 5, pag. 329.

(2) Calmetus, Comment. litteralis Regulæ S. Benedict. tom. 2, pag. 293.

(3) Concil. Lemov. anni 1031, Labbe, Collect. concil. tom. 9, col. 898.

(4) Baluzii Not. ad libros Capitularium, tom. 2, col. 1143; Labbe, Collect. Concil. index, v. *Abbates*.

(5) Martene, De antiq. monachor. Ritib. lib. 5; De antiq. eccles. Ritib. de sac. Benedict. cap. 1, tom. 3, pag. 2, edit. Rothomag.; Comment. in Regul. S. Bened. pag. 840.

(6) Cfr. Mabillonius, Act. SS. Ord. S. Bened. part. 1, sæc. 3, præfat. num. 111, pag. 89.

CAPUT SEXTUM.

De administratione bonorum monasticorum.

1. Initio nullam partem habebant episcopi in administratione honorum monasticorum.
2. Deinde eis concessum jus exigendi rationes in monasteriis episcopalibus.
3. Propter abusus, qui facile renascuntur, eximuntur ab eorum jurisdictione multa monasteria.
4. Breve Benedicti XIV adversus archiepiscopum Limanum in favorem presbyterorum non exemptorum Oratorii.

Non minus falsa hæc quorumdam persuasio est regularibus secundum primævam ecclesiæ disciplinam liberam non fuisse bonorum administrationem sed hanc eis nonnisi sæculo VI per singularia privilegia permissam fuisse. Utique intervenerunt privilegia, sed non quod secus illa administratio ad episcopos pertineret sed quod timor esset ne bona usurparent.

2. Et quidem nullum decretum cognovimus medio sæculo VIII antiquius, quo episcopis liceret se huic administrationi immiscere; adeoque ut jus novum, quo antea episcopi non gauderent, exhibetur. Ajunt quippe Vernensis synodi anni 755 patres (1) : *In alia synodo nobis perdonastis* (regem Pippinum alloquuntur *ut illa monasteria, ubi regulariter monachi vel monachæ vixerunt, hoc quod eis de istis rebus dimittebatis unde vivere potuissent, exinde, si regalis erat, ad regem faciant rationes abbas vel abbatissa;* ET SI EPISCOPALIS, AD ILLUM EPISCOPUM. Sed tum episcopis concessa non est bonorum monasticorum administratio, sed jus dumtaxat exigendi rationem, si fundatio episcopalis esset.

3. Sed quantum complures hoc abusi sunt jure? Quantum opus fuit huic episcopis concessæ potestati modum imponere? Et quidem ad demonstrandum quam necessarium fuerit per singularia privilegia multa ab ea eximere monasteria, non citentur

(1) Can. 20, Baluzius, Capitularia Regum Francor. tom. 1, col. 174.

oportet Mabillonius (1), Calmetus (2), auctores novi Tractatus de re diplomatica (3), Bignonius (4), ipsique S. Gregorius M. (5) et Benedictus XIV (6); sed satis fuerit produxisse unum S. Gregorium VII, qui ad Cunibertum, episcopum Taurinensem, in hæc scripsit verba (7) : *Numquidne existimas episcopos hanc in pastorali regimine potestatem atque licentiam suscepisse, ut monasteria, quæ in suis parochiis consistunt, quantum velint opprimant, et studium religionis suæ prælationis occasione,* HÆC ET ILLA POTENTER EXIGENDO, *et potestatem suam exercendo, comminuant? An ignoras quod sancti patres plerumque et religiosa monasteria de subjectione episcoporum et episcopatus de parochia metropolitanæ sedis* PROPTER INFESTATIONEM PRÆSIDENTIUM *diviserunt, et perpetua libertate donantes apostolicæ sedi velut principalia capiti suo membra adhærere sanxerunt? Percurre sanctorum Patrum privilegia, et invenies ipsis etiam archiepiscopis officium, nisi forte ab abbate vocatis, in* PLERISQUE *cœnobiis facere prohibitum esse, ne forte monastica quies sæcularium personarum frequentia et conversatione turbaretur. Hoc itaque ne et nos illorum auctoritate et exemplo de præfato sancti Michaelis monasterio facere cogamur, neve tu,* DUM IMMODERATA QUÆRIS, *ea quæ ex æquo tibi attinere videbantur juste amittas, apostolica te auctoritate monemus, etc.* Quid, si jam ad singularia exempla veniremus? Si epistolas pontificum, si synodorum canones congereremus, quæ vetabant ne episcopi vi cupiditatis monasteria spoliarent, aut simulatione aliqua fraudis convellerent, vel dissolverent? Si testimonia afferremus, quibus liquido constat instrumenta privilegiorum chartariis regiis et pontificiis fuisse inserta, ut, si ea raperent episcopi e monasteriis, exemplaria saltem Romæ et in aula regia superessent? Sed hæc omnia silentio præterire juvat; adeoque omisissemus S. Gregorii VII

(1) Annal. Bened. lib. 16, num. 5, tom. 1, pag. 526, et passim.

(2) Commentar. litteralis in Regul. S. Benedicti, præfat. pag. 17 et seq.

(3) Tom. 5, pag. 107 et passim.

(4) Not. ad Capit. Reg. Francor. Baluzii, not. ad Marculfum, tom. 2, col. 866.

(5) Lib. 8, epist. 15. Opp. tom. 2 col, 906 et seq. lib. 13, epist. 6 et seqq 1218 et seqq., etc.

(6) Bulla *Causarum palatii*. Bullarium, Benedicti XIV, tom. 2, constit. 40, vol. 5, pag. 334.

(7) Lib. 2, epist. 69, Labbe, Collect. concil. tom. 10, col. 120 et seq.

locum, nisi Benedictus XIV eumdem citans ad id nos induxisset.

Hos veteres esse abusus neque nunc amplius timendum esse ne denuo admittantur respondebitur. Sane episcopi valde pauci se iis nunc implicarent, nisi specie pietatis deciperentur. Et quidem fuitne nemo nuperrimis temporibus qui, quum in monialium monasteriis videret censu superari sumptus, his verbis rationes clauderet : *Hæc pro me sunt,* et insignem auri summam auferret in bona opera dispertiendam? ut postquam hæc aliquoties facta essent, curaret enixe prœposita ne in adventu visitatoris ulla amplius domi pecunia esset. Nonne fertur episcopus aliquis monialibus, frequentissimum conservatorium dirigentibus, imposuisse onus ædificandi quotannis in sua diœcesi unam aliquam ecclesiam parochialem ruralem? Quo jure? Qua prudentia? Si enim mala ingruant tempora, unde vivent moniales? Quomodo melioribus deinde temporibus institutum suum renovabunt?

4. Generatim autem tantis incommodis scatet immixtio episcoporum administrationi rerum temporalium cœnobiorum similiumque cœtuum, ut quum de ea controversia esset inter archiepiscopum Limanum et presbyteros Oratorii, neutiquam exemptos, hi causam vicerint. Operæ pretium est literas, quas in forma brevis ea de re dedit Benedictus XIV, hoc loco proferre (1). *Benedictus papa XIV ad futuram rei memoriam. Emanavit nuper a congregatione particulari venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium a Nobis deputata, super octo dubiis vertentibus inter venerabilem fratrem archiepiscopum Limanum ex una, et dilectos filios presbyteros sæculares congregationis Oratorii sancti Philippi Nerii civitais Limanæ ex altera partibus, resolutio tenoris sequentis, videlicet : Limana, die Veneris* XXX *decemb. MDCCLVII. in ædibus eminentissimi et reverendissimi domini cardinalis Sacripantes Vitutii, habita fuit congregatio particularis, a Sanctissimo deputata, ejusdem eminentissimi domini, atque eminentissimorum et reverendissimorum dominorum de Matthæis et Argenvilliers, in causa Limana inter venerabilem congregationem Oratorii sancti Philippi Nerii*

(1) Bullarium Benedicti XIV, tom. 12, pag. 372.

civitatis Limæ, et reverendum dominum promotorem fiscalem curiæ archiepiscopalis ejusdem civitatis; et in ea fuerunt proposita, et discussa sequentia dubia. I An congregatio sit omnimodè subjecta reverendissimo archiepiscopo, in modo, forma, assumptis et materiis? II An congregatio teneatur tradere archiepiscopo visitanti quatuor libros, quos juxta constitutiones debent habere patres Oratorii, nec non libros seu indices archivii et bibliothecæ, et inventarium supellectilium ecclesiæ? III An asserta exemptio ab exhibitione prædictorum librorum cesset, dum archiepiscopus uti apostolicus delegatus visitet? IV An interiores œconomiæ congregationis, quoad expensas et computa, necnon electiones præpositorum, nominationes, admissiones, et expulsiones presbyterorum sint subordinatæ directioni archiepiscopi? V An casu quo congregatio Oratorii de Urbe, necnon aliæ congregationes sint a prædictis exemptæ: idem ferri debeat judicium de congregatione Limana, cujus presbyteri a fundatione usque ad præsens sunt valde pauci, vivuntque et aluntur, non tam ex proprio patrimonio, quàm ex bonis relictis in commune congregationi et ex emolumentis ecclesiæ hospitalis, pro funeribus, missis capellaniarum, confraternitatum, et ex aliis causis? VI An destinatio procuratoris pro curia Matriti aut Romæ fieri a congregatione debeat, cum interventu archiepiscopi, sitque is certiorandus de causis ipsius destinationis, valeatque eas improbare? VII An archiepiscopus sit judex competens in causa nullitatis electionis ad præposituram, et promotor fiscalis de ea jure agere valeat; prout etiam pro observantia omnium constitutionum? VIII An ad implementum capellaniarum, aliorumque piorum operum existentium in congregatione et ecclesia hospitalis pertineat ad internum regimen, ita ut sit extra visitationem archiepiscopi, in casu etc. Eisdemque dubiis responsum fuit ad primum: Affirmative; exceptis ejus instituto, sive iis, de quibus loquuntur constitutiones congregationis. Ad secundum: Negative, exceptis inventariò supellectilium ecclesiæ, necnon eorumdem visitatione. Ad tertium: Non esse locum in præmissis, juri delegato. Ad quartum: Negative in omnibus. Ad quintum: Affirmative in omnibus. Ad sextum: Negative in omnibus. Ad septimum: Affirmative quoad primam partem; quo vero ad secundam, promo-

torem fiscalem agere non posse ex officio, et nullo ex sacerdotibus congregationis instante pro nullitate electionis ; quoad tertiam, negative. Ad octavum : Negative, servata tamen quoad ecclesiam hospitalis dispositione brevis sanctissimi domini Nostri tertia augusti MDCCLVII. Factaque per me infrascriptum relatione Sanctitati Suæ omnium et singularum supradictarum resolutionum in audientia habita die VIII *januarii MDCCLVIII, eas dignatus est in omnibus approbare, mandavitque desuper expediri literas apostolicas in forma brevis. In quorum fidem etc. Datum Romæ ex palatio nostræ solitæ habitationis hac die nona mensis jan. MDCCLVIII. C. M. Cardinalis Sacripantes Vitutii. Loco † sigilli.*

Cum autem sicut dicti presbyteri sæculares nobis subinde exponi fecerunt, ipsi resolutionem hujusmodi quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri, summopere desiderent; Nos igitur, ipsos exponentes, specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati ; præinsertam resolutionem a memoratis cardinalibus, ut præfertur, super dictis dubiis captam, auctoritate apostolica, tenore præsentium confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, omnesque et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper forsan intervenerint, supplemus et sanamus. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari ; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secùs super his, a quoquam, quavis Auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutioni-

bus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXI *januarii MDCCLVIII, pontificatus nostri anno decimo octavo. Pro domino Card. Passioneo, Joannes Florius substitutus. Loco † sigilli.*

CAPUT SEPTIMUM.

De veterum exemptionum formulis.

1. Ex veteribus formulis melius quam ex singularibus privilegiis cognosci potest pristinarum exemptionum ratio.
2. Formula pontificia ex Libro diurno.
3. Formula episcopalis ex Formulis Marculfi.
4. Formula qua fundator monasterium eximit a jurisdictione episcopali et regiæ ditioni subdit ex nova Collectione Baluzii.

Quum olim tanta esset de jure communi monasteriorum libertas, vix erat cur exemptionis privilegia concederentur. Concedebantur tamen quo illa certior esset. Equidem facile hoc loco producere possem ingentem antiquissimorum privilegiorum seriem, sed feci hoc alibi (1) et ante me Antonius Zaccaria (2). Brevitatis itaque causa præplacet paucas aliquot formulas antiquas proferre, quæ specimina sint privilegiorum quæ duodecim abhinc sæculis concedi solebant monasteriis a pontificibus Romanis, ab episcopis, et a regibus et ducibus. Ut enim eruditis omnibus constat et facile intelligitur, nihil istis Formulis aptius est ad cognoscendas illius ævi consuetudines. Ut enim nunc episcopi, notarii, judices, tributorum exactores aliique certas habent formulas, etiam typis expressas, quibus frequenter utuntur, quod casus quasi quotidiani sint; sic quoque olim exstiterunt formularum collectiones in omnibus palatiis. Romani pontifices *Librum* habebant *diurnum;* episcopi suas Formulas, et reges ducesque suas. Quæ idcirco tantam in historia habent vim quantam ipsæ leges, tantumque valent ad demonstrandum creberrimum alicujus rei usum quantum mille diplomata.

2 Ad annum 714 scriptus est *Liber diurnus* continetque for–

(1) Examen canonicum et historicum de regularium et sæcularium clericorum juribus, pag. 193 et seqq.

(2) Antifebronius vindicatus, diss. 10, cap. 4, ap. Migne, Theolog. cursus compl. tom. 27, col. 1168.

mulas tres diversas, quibus Romani pontifices utantur in eximendis monasteriis a jurisdictione episcopi diœcesani. Prima, qua S. Zacharias papa anno 750 usus est in asserenda secundum petitionem S. Bonifatii, archiepiscopi Moguntini et martyris, monasterio Fuldensi perpetua libertate, hæc est (1). *Quoniam semper sunt concedenda quæ rationabilibus congruunt desideriis, oportet ut devotio conditori piæ constructionis oraculi in privilegiis præstandis minime denegetur. Igitur, quia postulasti a nobis quatenus monasterium sancti* ILLIUS *situm in loco* ILLO *privilegiis sedis apostolicæ decoretur, ut, sub jurisdictione sanctæ (cui, Deo autore deservimus) ecclesiæ constitutum, nullius alterius ecclesiæ jurisdictionibus submittatur : pro qua re piis desideriis faventes, hac nostra autoritate id quod exposcitur effectui mancipamus ; et ideo omnem cujuslibet ecclesiæ sacerdotem* (intellige episcopum) *in præfato monasterio ditionem quamlibet habere vel autoritatem præter sedem apostolicam prohibemus ; ita ut, nisi ab abbate monasterii fuerit invitatus, nec missarum ibidem solemnitatem quispiam præsumat celebrare, omni modo constituentes per hujus decreti nostri paginam atque interdicentes omnibus omnino cujuslibet ecclesiæ præsulibus vel cujuscumque dignitatis potestate præditis sub anathematis interpositione. Qui præsumpserit præsentis constituti, a nobis præfato monasterio indulti, quolibet modo existere temerator, etc.*

In hoc utique privilegio nihil occurrit novum. Nam, quum S. Bonifatius ipsemet Fuldensis monasterii fundator esset, licebat ei secundam veterem quam supra adstruximus disciplinam hoc cuivis episcopo, ante omnes tamen Romano pontifici, subjicere simulque a lege diœcesana eximere.

3 Quum autem episcopi monasteria episcopalia a jurisdictione sua non solverent, sed privilegiis tamen communirent, jura sua inter arctissimos fines constringentes, nequaquam recedebant ab antiquo tramite ; ut, si quis Formulam : QUALITER PRIVILEGIUM CONDATUR, quam Marculfus monachus ad annum 651 simul cum multis aliis ad S. Landericum, episcopum Parisiensem, misit (2),

(1) Hoffmann, Nova scriptorum collectio, tom. 2, pag. 167.

(2) Mabillonius, Annal. Bened. lib. 14, num. 14, tom. 1, pag. 418. Cfr. Hier. Bignonii Not. ad Marculfum ap. Baluzium, Capitularia regum Franc. tom 2, col. 861 et seqq.

considerare voluerit et cum his quæ alibi de pristina libertate retulimus conferre, facile intelliget.

4 Sequitur itaque jam tenor hujus formulæ (1) : *Domino sancto et in Christo venerabili fratri* ILLI *abbati, vel cunctæ congregationi monasterii* ILLIUS, *in honore beatorum* ILLORUM *ab* ILLO *in pago* ILLO *constructi,* ILLE *episcopus. Compellit nos affectio caritatis vestræ, radio inflammante divino, illa pro vestra quiete providere, quæ nobis maneant ad mercedem, et ea recto tramite inconvulso limite terminari, quæ perennem deinceps propitiante Domino obtineant firmitatem : quia non minor a Domino retributio speratur futura pro succiduis contemplante temporibus, quam ad præsens munera pauperibus offerente.* ET NE NOBIS ALIQUIS DETRAHENDO ÆSTIMET IN ID NOVA DECERNERE CARMINA, DUM AB ANTIQUITUS JUXTA CONSTITUTIONEM PONTIFICUM, PER REGALEM SANCTIONEM MONASTERIA SANCTORUM LIRINENSIS, AGAUNENSIS, LUXOVIENSIS, VEL MODO INNUMERABILIA PER OMNE REGNUM FRANCORUM SUB LIBERTATIS PRIVILEGIUM VIDENTUR CONSISTERE, *sed pro reverentia sanctorum beatorumque omnium* FRATRUM IMPLENDO JUSSA, CUSTODIENDO PRÆCEPTA, OBEDIENTIAM PROPALABO. *Quid vero vos vel successores vestri, sancto suadente Spiritu deinceps custodiatis, immo sanctæ illius ecclesiæ episcopus debeat adimplere, huic paginæ credidimus inserendum. Hoc est, ut de vestra congregatione qui in vestro monasterio sancta debeant bajulare officia, quum abbas cum omni congregatione poposcerit, a nobis vel a successoribus nostris sacros percipiant gradus, nullum pro ipsorum honore præmium percepturus. Altare in ipso monasterio prædictus episcopus benedicat ; et sanctum chrisma annis singulis, si voluerint postulare, pro reverentia loci sine pretium concedat. Et juxta dispensationem divinam, cum abbas de ipso monasterio a Domino migraverit, quem unanimiter omnis congregatio* ILLA *monachorum ex semetipsis optimæ regulæ compertum et vitæ meritis congruentem elegerint, similiter sine præmium memoratæ urbis episcopus ipse promoveat abbatem.* NULLAM PENITUS ALIAM POTESTATEM AD IPSO MONASTERIO, *neque in rebus,* NEQUE IN ORDINANDIS PERSONIS, *neque in villabus ibidem jam conlatis aut deinceps*

(1) Labbe, Collectio concil. tom. 6, 371 et seqq. Migne, Patrologia, tom. col. 531; Baluzius, Capitul. tom. 2, col. 87, col. 697.

regio munere aut privatorum conlaturas, vel in reliqua substantia monasterii, nos successoresque nostri episcopi, aut archidiaconi, seu ceteri alii ordinatores, aut quælibet alia persona prædictæ civitatis habere non præsumant, aut quodcumque de eodem monasterio, sicut de parochiis aut ceteris monasteriis, muneris causa audeant sperare aut auferre; nec de hoc quod a Deum timentibus hominibus transmissum aut in altario offertum fuerit, aut sacris voluminibus, vel quibuscumque speciebus ad ornatum divini cultus pertinet, ad præconlata vel deinceps conlatura fuerint, auferre præsumant. ET NISI ROGATUS A CONGREGATIONE *illa* VEL AB ABBATE, PRO ORATIONE LUCRANDA, NULLI NOSTRUM LICEAT MONASTERII ADIRE SECRETA AUT FINIUM INGREDI SEPTA. *Et, si ab eis illuc Pontifex postulatus pro lucranda oratione vel eorum utilitate accesserit, celebrato ac peracto divino mysterio, simplici ac sobria benedictione percepta, absque ullo requisitu domum studeat habere regressum; ut quatenus monachi, qui solitarii nuncupantur, de perfecta quiete valeant duce Domino per tempora exultare, et sub sancta regula viventes, et beatorum patrum vitam sectantes, pro statu ecclesiæ et salute regis vel patriæ valeant plenius Dominum exorare.* ET SI ALIQUID IPSI MONACHI DE EORUM RELIGIONE TEPIDI AN SECUS EGERINT, SECUNDUM EORUM REGULAM AB EORUM ABBATE, SI PRÆVALET, CORRIGANTUR. SIN AUTEM, PONTIFEX DE IPSA CIVITATE COERCERE DEBEAT : *quia nihil de canonica auctoritate convellitur, quicquid domesticis fidei pro quiete tranquillitatis tribuitur. Si quis autem ex nobis, quod Deus avertat, calliditate commotus, aut cupiditate præventus, ea quæ sunt superius comprehensa temerario spiritu violare præsumpserit, a divina ultione prostratus, reatu anathematis subjaceat, et tribus annis a communione omnium Fratrum noverit alienum; et nihilominus hoc privilegium perpetim maneat incorruptum. Quam constitutionem nostram, ut firmis subsistat vigoribus, et nos et fratres nostri domini episcopi subscriptionibus manibus nostris decrevimus roborari. Actum* IBI, *sub die* ILLO, *anno* ILLO. Mitto *concessionem Regis ad hoc privilegium*, quæ continuo post sequitur, et in qua id unum animadverti meretur. quod ibidem etiam dicitur : AB ANTIQUITUS JUXTA CONSTITUTIONEM PONTIFICUM *per regalem sanctionem* MONASTERIA SANCTORUM *illorum* VEL CETERA IN REGNO NOSTRO SUB LIBERTATIS PRIVILEGIUM VIDENTUR CONSISTERE.

Ex his itaque formulis, quæ episcopis et regibus *juxta constitutionem Pontificum, jussa et præcepta Fratrum* abbibendæ proponuntur, et secundum quam *innumerabilia*, adeoque fere omnia, *monasteria per omne regnum Francorum sub libertatis privilegio consistebant*, melius quam ex ingenti copia diplomatum, repeti potest episcopis tunc temporis vulgo relictas tantum fuisse ordinationes et benedictiones sacras, collationem chrismatis et correctionem monachorum, *siquando abbas non prævaleret*; quin etiam hæc formula tam late patebat, ut monasteria, quibus simile concessum fuisset privilegium, a jurisdictione episcopi censerentur absoluta : quod intelligimus ex bulla Stephani papæ II pro monasterio S. Dionysii prope Parisios. Etenim, quum S. Landericus in eximendo hoc cœnobio illa formula usus esset (1), non dubitavit de ea Stephanus ita disserere (2): *Quoniam ad preces Chludovii, filii Dagoberti regis, domnus Landericus, Parisiacæ urbis episcopus,* A SUA ET OMNIUM SUCCESSORUM POTESTATE DEINCEPS, *cum consilio suorum canonicorum et fratrum cœpiscorum regionis illius,* CŒNOBIUM VESTRUM ET OMNES AD EUM PERTINENTES CLERICOS QUORUMCUMQUE ORDINUM IN PROCINCTU VESTRI MONASTERII ABSOLVIT; *nos etiam idem... concedimus.*

Placet quoque partem Formulæ producere, qua fundator monasterium ab episcopi jurisdictione eximit et regiæ auctoritati subdit. Porro in nova Collectione Formularum, edita a Baluzio, reperimus duas formulas, qnibus episcopis omnis omnino spiritualis adimitur potestas in monasteriis : adeo ut monachi nullo prorsus modo episcopi correptioni subjaceant et a quocumque velint episcopo recipere possint sacros ordines, chrisma et quæ alia sunt episcopalis muneris. Auctores novi Tractatus de re diplomatica (3) referunt has formulas ad spatium, quo vetus Burgundiæ regnum duravit, id est ab anno 413 ad 524; ast id prorsus erroneum esse vel ex eo liquet, quod regula S. Benedicti, quæ in his formulis laudatur, tunc nondum in Gallia vigeret. Quocirca præplacet nobis sententia Mabillonii, qui illas sæ-

(1) Baluzius, Capitul. reg. Franc. tom. 2. col. 867 et seqq.

(2) Ap. Mabillonium, Acta SS. Ord. S. Bened. sæc. 3, part. 2, pag. 337.

(3) Tom. 5, pag. 377.

culo VII annectit (1). Aliqua ex priori decerpimus : *Dum omnes præsules et nobiles personæ agnoscunt,* ita loquitur fundator monasterii (2), *et comprovincialibus nostris cognitum est, quod ego* ILLE *in* MEA RE PROPRIA *jam nominatum monasterium ædificavi...* VEL QUIDQUID EXINDE FACERE VOLO, PRÆSENTI TEMPORE IN OMNIBUS MIHI MANEAT LIBERA POTESTAS, *propterea per præsentem paginam cum consensu supra memoratorum pontificum constituo ut nullus episcopus alius civitatis, aut archidiaconus, vel quilibet ex clero, aut actores ecclesiæ* NULLUM IBIDEM PRÆSUMANT EXERCERE DOMINATUM, *non ad mansaticos aut repastos exigendo, non ad ministeria describendo, non ad abbatem mittendo.* CUM VERO NECESSE FUERIT CHRISMA PETERE, TABULAS AUT ALTARIA CONSECRARE, SACRIS ORDINIBUS BENEDICI, ABBAS VEL MONACHI IBIDEM CONSISTENTES, A QUOCUMQUE DE SANCTIS EPISCOPIS SIBI ELEGERINT QUI HOC AGERE DEBEAT, LICENTIA SIT EIS EXPETERE ET ILLI HOC BENEDICERE VEL CONSECRARE... *Quod vero Deus avertat, ne ibi sanctus ordo tepescat et* IPSE ABBAS HOC EMENDARE NON PRÆVALET AUT NEGLIGIT, POTESTAS MANEATUR IPSIS MONACHIS *ubicunque in propriis monasteriis rectius et sanctius secundum regulam S. Benedicti invenerint, expetere, et per eorum salubre consilium* IPSUM SANCTUM ORDINEM REGULARITER EMENDARE. *Quod si pontifex vel aliquis ex ecclesiasticis ministeriis quislibet... aliquid calumniare vel inquietare vel per quodlibet ingenium minuare tentaverit, a glorioso domno, quem tunc Deus regnum* BURGUNDIÆ *gubernare permiserit, hoc protinus emendetur...*

(1) Annal. Bened. lib. 19, num. 60, tom. 2, pag. 27.

(2) Baluzius, Capitularia Reg. Francor. tom. 2, col. 579 et seq.

CAPUT OCTAVUM.

De monasteriis regiis.

1. Disciplina, secundum quam monasteria regia erant ab episcoporum jurisdictione quasi libera, antiquissima est.
2. In his monasteriis procurabant reges disciplinæ regularis observantia m, maxima usi potestate.
3. Ad quem finem adhibebant operam missorum dominicorum et archica pellani.
4. Qui archicapellanus interventu Romanorum pontificum auctoritatem habebat in omnes res ecclesiasticas regni.
5. Hæc disciplina in usu erat non solum in Galliis, verum etiam in Italia et in Oriente.
6. A sæculo X usque ad XII aggrediuntur episcopi hanc disciplinam et aliquando vincunt.
7. Ejus tamen vestigia deinceps superfuerunt.

Verum regia monasteria adeo a præsentibus moribus aliena sunt, ut de iis plura explicanda videantur; non quasi hanc formam restituendam esse censeremus (absurdum enim foret his temporibus hoc consilium), sed ut manifestum sit multo pauciora monasteria episcopis subfuisse quam nonnulli existiment; ita nunc plura sibi subjecta plerique episcopi habeant quam ullus umquam inter eorum decessores.

Antiquissima scilicet erat disciplina, quæ tum in Occidente tum in Oriente viguit, ut liceret monasteria regiæ concredere tuitioni, atque tunc ferme cessabat episcopalis jurisdictio, aut certe sine consensu regio omnino erat vinculata. Quam disciplinam ut manifestam faciamus, juverit pauca exempla referre. Imprimis, quum S. Radegundis, regina et abbatissa Pictavensis, rogasset a Meroveo, Pictavensi episcopo, ut solemni pompa reliquias S. Crucis, ex Oriente acceptas, conderet et repulsam passa esset, a rege Sigeberto obtinuit ut id a Turonensi præsule fieret. Hinc iræ Merovei, quas frustra sedare studuit sancta abbatissa. Denique, Arelatem profecta atque hinc cum regula S. Cæsarii

redux, *regis tuitione se muniit,* quia ab illo, qui pastor esse debuerat, nullam curam defensionis suæ poterat recipere. Post obitum S. Radegundis, petiit nova abbatissa ut denuo ipsa suæque moniales sub sacerdotis sui (episcopi) potestate degerent. *Quod ille, quum primum respuere voluisset, consilio servorum Dei promisit se patrem earum, sicut dignum erat, fieri; et, ubi necessitas fuisset, suam præbere defensionem.* UNDE FACTUM EST, UT ABIENS AD CHILDEBERTUM REGEM PRÆCEPTUM ELICERET, UT ET HOC MONASTERIUM, SICUT RELIQUAS PAROCHIAS, REGULARITER LICERET GUBERNARE (1). Quibus sane verbis, inquit Mabillonius, S. Gregorius Turonensis coævus scriptor testatur, id Meroveo antea non licuisse: qui rerum status viginti circiter duravit annos Hanc episcopi auctoritatis suspensionem seu vinculationem *singularem prorsus privilegii speciem* nuncupat Thomassinus : sed parum feliciter; quum indubium sit hanc communem regalium monasteriorum conditionem fuisse, licet ejus origo non satis liqueat. Similiter Emmo, episcopus Senonensis, in celeberrimo S. Columbæ diplomate, anno 658 concesso, profitetur se nihil in regali monasterio ordinare posse, adeoque ne privilegium quidem concedere nisi *cum regali consensu : Quamvis enim,* inquit (2), *in jure possessionis nostræ non sit idem monasterium, nostræ tamen auctoritatis est et canonicæ dispensationis* UNA CUM REGALI CONSENSU *id ordinandi et hujusmodi privilegia monasteriis constituendi.* Quodsi episcopi absque consensu regio regalibus monasteriis privilegia concedere non possent, videntur ad ea concedenda obstricti fuisse, quum a monachis et principibus postularentur. Certe in altera Formula Burgundica, de qua inferius recurret sermo, ita loquitur episcopus (3) : *Dum... nobis jam dicto domno glorioso regi* ILLO *opportunum est petere, ut privilegium monachis ibidem habitantibus* DEBEREMUS *largiri ;... propterea ergo ab hac parte semper Christo propitio directore dirigentes communi voluntate* ILLE *episcopus et ceteri consensimus ut in eis privilegium claro animo confirmaremus.* Confirmatur

(1) S. Gregorius, Turoneus. lib. 9. Hist. Francor. cap. 40. D. Bouquet, Recueil des histor. de France, tom. 2, pag. 356 et seq.

(2) Mabillonius, Annales Bened. lib. 14, num. 63, tom. 1, pag. 448.

(3) Baluzius, Capitularia Regum, tom. 2, col. 581 et seqq.

dein monachis bonorum omnimoda immunitas, in eligendo abbate libertas, licentia accipiendi a quocumque præsule episcopalia, abbatis negligentia aut impotentia a vicinis monachis supplenda indicitur, etc. Sed enucleatius jam quæcumque ad hunc rerum statum pertineant explicemus.

Quum monasteria regalia fierent seu constituerentur, dicebantur *propria* esse seu in *alodio regis*, sub regia *defensione*, *tuitione*, *protectione* seu *ditione*, ad *jus* regis pertinere, aliisve designabantur verbis, non dissimilibus ab appellationibus a summis pontificibus adhibitis (1), ut ex innumeris exemplis patet. Præterea hæc in regiam tuitionem susceptio eosdem vulgo habebat effectus ac protectio et ditio pontificis Romani; unde utraque dicebatur *libertas* (2), et monasterium alterutra fruens nuncupabatur *liberum* (3).

Aliquando quidem, per Capitulare scilicet anni 823 (4), *Abbatibus et laicis specialiter jussum est ut in monasteriis quæ hæc ex regia largitate haberent, episcoporum consilio et documento ea quæ ad religionem canonicorum, monachorum, sanctimonialium pertinent, peragerent, et eorum salubrem admonitionem in hoc libenter audirent et obedirent.* Ast certum omnino est hæc numquam in usu prævaluisse, quamdiu hæc amplioris regiæ tuitionis disciplina duravit.

Qui enim sub regia tutela degebant, nequaquam parebant episcopis, ut liquet e gestis S. Abbonis, exeunte sæculo x abbatis Floriacensis. Hic enim sanctissimus vir, *quum paratus esset juxta Apostoli præceptum subdi etiam omni creaturæ propter Deum, intelligens tamen huic loco, quem regebat posse officere, si episcopo Aurelianensi Arnulfo modos subjectionis, quos requirebat,* (SCILICET OBEDIENTIÆ AC REVERENTIÆ CANONICÆ NECNON CLIENTELÆ (5) *ad ipsius libitum dependeret, id facere in omni sua recu-*

(1) Baluzius, Not. ad Opp. B. Lupi Ferrariensis, pag. 353.

(2) Epist. 12 B. Lupi Ferrariensis pag. 32, edit. Baluz. et passim in veteribus monumentis.

(3) Du Cange, Glossar. med. et infim. latinitat. v. *Monasteria libera*.

(4) Capitul. Caroli M. et Ludovici Pii, collect. ab Ansegiso Abb. et Benedicto Lev. lib. 2, cap. 8. Balluzius, Capet. Reg. Francor. tom. 1. col. 738.

(5) Fulbertus Carnotensis ad Fulconem Aurelianensem. epist. 41, Biblioth. maxima Patrum. tom. 18, pag. 16.

savit vita (1); quoniam Floriacense monasterium DITIONI SOLUMMODO PAREBAT REGIÆ (2). Plura hujuscemodi exempla omitto.

2 Ad reges quoque devolvebatur disciplinæ regularis cura ut constat ex lege lata a Pippino, Italiæ Rege; qua, instigante (ut videtur) Carolo Magno, anno 790 constituit, ut *monasteria virorum ac puellarum, tam quæ in mundio palatii esse noscuntur, vel etiam in mundio episcopi vel ceterorum hominum, distringeret unusquisque in cujus mundio sunt, ut regulariter vivant* (3) Quæ lex in usu adhuc erat exeunte sæculo X, etiam postquam Hugo Capetus auctoritatem regiam in monasteria plurimum minuisset; adeoque deponebant negligentes abbates, immorigeros monachos ejiciebant, introducebant alios novosque constituebant præpositos, quin etiam hæc sua monasteria aliis uniebant, subjiciebantque aut ea concredebant emendanda. Quæ pluribus exemplis manifesta sunt. Atque hæc frequentissime fiebant absque episcoporum interventu. Alias tamen eorum admittebatur opera : unde in Capitulis Caroli Calvi legitur ipsum in provincias misisse legatos, qui una cum episcopis et monasteriorum possessoribus, quos ad eamdem quoque sollicitudinem delegabat, vitam et mores monachorum regia vice examinarent cunctaque ad se referrent, ut patet ex secunda synodo Suessionensi (4) et ex Capitulari Compendiensi (5) *Et ne longius abeamus,* inquit Baluzius (6), (cui passim consoni sunt Mabillonius (7), Cangius (8), Juenin (9), auctores novi Tractatus de re diplomatica (10) alliique, *exempla petentes e longinquo; hic noster Lupus, ut ipse in epistola* LXIII *auctor est, legatus fuit una cum Heriboldo episcopo Autissiodorensi et Prudentio Tricassino, ut monasteria in regno Caroli constituta visitaret. Ea fortassis de causa vir*

(1) Aimoinus, Vit. S. Abbonis, num. 8, Act. SS. Ord. S. Bened. sæc. 6, part. 1, pag. 42.

(2) Aimoinus, Mirac. S. Benedicti, lib. 1, cap. 19, num. 33, Act. SS. Ord. S. Bened. sæc. 4, part. 2, pag. 369 et seq.

(3) Baluzius, Capitularia reg. Francor. 1, csl. 546.

(4) Labbe, Collect. concilior. tom. 8, col. 83 et seqq.

(5) Baluzius, Opp. B. Lupi Ferrariensis, app. Vet. Act. pag. 513 et seqq.

(6) Ibid. Not. ad Lupum Ferrar. pag. 353 et seq.

(7) Ann. Bened. lib. 49, num. 111, tom. 4, pag. 48 et alibi.

(8) Glossar. latinit. med. et infim. v. *Monasteria regalia et fiscalia.*

(9) Hist. de l'Abbaye de Tournus, tom. 1, pag. 56.

(10) Nouveau traité de diplomatique, tom. 4, pag. 585, tom. 5, pag. 108 et seq., etc.

eruditus Franciscus Florens, canonici juris interpretes, præsertim vero auctorem Glossæ, graviter reprehendit, quod exemptiones a regibus concessas monasteriis ad temporalia tantum porrigi dixerit, non autem ad spiritualia. Non absimili autem instituto hodie pontifex Romanus persæpe delegat visitatores... ad noscendos monasteriorum morbos... Et quoniam eo præsidio monasteria indigebant, ut facilius occurrerent contradictionibus sive episcoporum, sive aliorum quorumcumque, ii qui monasteria de novo fundabant, ea statim ponebant sub tuitione ac defensione principum... At principes, quorum aliunde summa in hoc erat auctoritas, existimabant ex ea fundatorum institutione sequi (seu neglectis privilegiis, id sibi arrogabant), *ut tota monasteriorum illorum dispositio penes ipsos esset, sive in constituendis abbatibus, sive etiam in ordinandis rebus monasteriorum, monachorumque moribus (scilicet per missos dominicos)* (1) *informandis. Quæ causa fuit, ut abbates illic pro arbitrio constituerent sive ex monastico ordine sive ex laicali. Unde Lotharium et Ludovicum Impp. graviter monuit synodus Ticinensis habita anno* 850 (2) *ut idoneis viris monasteria committerent juxta ordinationem fundatorum.* Hactenus Baluzius (3), qui jam antea ostenderat ex vicibus cœnobii S. Columbæ Senonensis monasteriorum libertatem tum pependisse ex nutu principum, qui eam concedebant, dein vero, si res ita ferret, revocabant pro arbitrio (4). Sic etiam Carolus Magnus monasterium Senoniense in Vosago subdidit ditioni Angelramni, Metensis antistitis, successorumque ejus, *qui locus ab initio sui ab imperio dependebat* (5); sic Caroli filius, Ludovicus Pius, monasterium Glanafolium subjecit monasterio Fossatensi (6); sic Rodulfus rex monasterium Tutelense subjecit cœnobio S. Savini Pictavensis, idque postea ab eo onere liberavit, quod ita religioni expedire

(1) Baluzius, Not. ad. Lupum, Retr. pag. 497.

(2) Vide plura hujuscemodi Synodorum statuta in opere Card. Norisii, l'Istoria delle investiture, cap. 16, col. 547 et seqq.

(3) Not. ad Lupum, pag. 353 et seq.

(4) Ibid. pag. 351 et seq.

(5) Richerius Monachus, in Chronico Senoniensi, lib. 2, cap. 1, ap. Dacherium, Spicileg. tom. 2, pag. 612, edit. 1723, Cfr. etiam Mabillonius Annal. Bened. lib. 24, num. 20, tom. 2, pag. 215.

(6) Mabillonius, Annal. Bened. lib. 31, num. 5, tom. 2, pag. 556 et seq.

arbitrabatur (1); sic demum Carolus Calvus monasterium Magniloci prius Arvernensi episcopo subjecit, dein libertati restituit (2).

3. Inter hæc plura esse quæ abusum sapiant nemo prudens negabit. Verumtamen, quum usum ipsum probarint plurimi sanctissimi viri et pontifices, non certe præsumendum est rem ipsam fuisse meram usurpationem potestatis civilis. Sane ex propria auctoritate nullum principibus jus est in sacra; sed ex concessione pontificum precariam aliquam eis fieri posse potestatem res manifesta est. Cæterum non ita difficile est reperire nexum spiritualem et hierarchicæ jurisdictionis nodos, quibus olim impediretur ne monasteria regia secundum jurisdictionem ecclesiasticam acephala fuisse dicantur.

Re quidem vera adhibebantur ad visitanda monasteria *missi dominici*, qui vulgo episcopi, abbates aut probati clerici erant. Ermoldus nempe Nigellus (3) ita loquentem inducit Ludovicum Pium Augustum :

Nunc nunc, o missi, certis insistite rebus
Atque per imperium currite rite meum.
Canonicumque gregem, sexumque probate virilem,
Femineum necnon, quæ pia castra colunt:
Qualis vita, decor, qualis doctrina, modusque
Quantaque religio, quod pietatis opus;
Pastorique gregem quæ convenientia jungat,
Ut grex pastorem diligat, ipse ut oves;
Si sibi claustra, domos, potum, tegimenque cibumque
Prælati tribuant tempore, sive loco; etc.

Verum, licet hæc inter alia essent missorum dominicorum munera, ultimatim tamen subdita erant monasteria cancellario seu archicapellano palatii regii, ut tradunt Fleury (4), Oroux (5),

(1) Baluzius, Not. ad B. Lupum, pag. 352.
(2) Ibid. Retract. pag. 497 et seq.
(3) Carmen elegiacum pro Ludovico Pio, lib. 2. ap. Muratori, tom. 2, part. 2 Rerum Italicarum, col. 44.
(4) Hist. eccles. lib. 43, num. 23, tom. 9, pag. 348 et seq. edit. 1721.
(5) Hist. eccl. de la cour de France, tom. 1, pag. 7 et seq.

auctores novi Tractatus de re diplomatica (1), aliique, nixi testimonio omni exceptione majori Hincmari (2), archiepiscopi Remensis, seu potius S. Adelardi abbatis Corbejensis, ex cujus libro *de ordine palatii* excerpta nonnulla Hincmarus inseruit in epistola sua ad episcopos Galliæ de recta principis institutione.

4. Quum autem archicapellanus *in dignitatis apice* constitutus esset; *ecclesiasticorum* haberetur *magister*; *responsalis negotiorum ecclesiasticorum* diceretur; *metropolitanis ubique, etiam in synodis, quibus præsidebat, præferretur*; *ecclesiasticasque causas in palatio distringeret*, ut videre est apud Baluzium (3), Mabillonium (4), Cangium (5) aliosque (6), multa veterum de hoc munere colligentes testimonia; nemo non videt fieri non posse ut per totum regnum suum exerceret officium, nisi ipse a reliquis episcopis independens fuisset.

Verum hæc suprema adeoque quasi patriarchalis archicapellani auctoritas legitima esse non poterat absque interventu Romani pontificis. Superest itaque ut aliquot hujus interventionis vestigia inquiramus : neque hæc omnino desiderantur. Legimus quippe in Actibus pontificum Cenomanensium Aiglibertum, qui circa annum 680 florebat, *archicapellanum et principem episcoporum regni* fuisse, et proin, *ut mos metropolitanorum est, detulisse rallium* (7), quod a solo Romano pontifice concedi notum est. Ambigi quidem potest cum Mabillonio (8) aliisque an illo tempore nomen *archicapellani* in usu esset, quin etiam videtur scriptor qui sæculo IX vixisse habetur, secundum morem sui temporis locutus, et loco *abbatis* dixisse *archicapellanum* (9); sed ipsa res immerito vocaretur in dubium.

(1) Tom. 5, pag. 377 et passim.

(2) Du Chesne, Scriptt. rer. Francic. tom. 2, pag. 490 et seqq. et D. Bouquet, Recueil des historiens de France, tom. 9 pag. 265.

(3) Not. ad Lupum Ferrar. 386 et seq. et pag. 443. Not. ad Capitularia Reg. Francor. tom. 2, col. 758.

(4) De re diplomatica, lib. 2, cap. 11, num. 10 et seqq, pag. 115 et seq.

(5) Glossar. med. et infim. latinit. v, *Capellani.*

(6) Cfr. Acta SS. tom. 12, Oct. pag. 655 et seq.

(7) Mabillonius, Vet. Analect. p. 276, idet. 1723.

(8) Annal. Bened. lib. 47, num. 14, tom. 1, pag. 517.

(9) Cfr. Oroux, Hist. ecclés. de la cour de France, introduct. tom. 1, pag. 36 et seqq. Cfr. Acta SS. tom. 12. Oct. pag. 655. et seqq.

Utut id est, alia supersunt pontificiæ interventionis testimonia. Paulus Papa I scilicet rescripsit ad Pippinum (1) : *Præcelsa christianitas vestra petiit a nobis Georgium episcopum et Petrum presbyterum in vestro permanere servitio nos debere concedere. Et quidem præcellentissima vestra benignitas agnoscat nos jam dudum de hoc vestræ obtemperasse voluntati.* Similiter Carolus Magnus suos non instituebat archicapellanos absque sanctæ sedis licentia; de eo enim in concilio Francofordiensi anni 794 legitur (2) : *Dixit dominus rex in eadem synodo, se a sede apostolica, id est,* AB ADRIANO PONTIFICE LICENTIAM HABUISSE *ut Angilramnum* ARCHIEPISCOPUM *in suo palatio assidue haberet, propter utilitates ecclesiasticas. Deprecatus est eamdem synodum, ut eo modo sicut Angilramnum habuerat, ita etiam Hildeboldum episcopum habere debuisset : quia et de eodem sicut de Angilramno,* APOSTOLICAM LICENTIAM HABEAT. Notanda etiam est epistola Caroli Calvi ad Nicolaum papam : *Quæ sedes Metensis,* inquit (3), *postulatione avi nostri divæ memoriæ Caroli imperatoris* HONORARI AB APOSTOLICA SEDE MERUIT, *et Engelramnus prædecessor istius, summus capellanus et apocrisiarius* (id est legatus) *apostolicæ sedis in istis regionibus aliquando fieret. Et postea deprecatione sanctæ recordationis Pii Augusti domni et genitoris nostri excellenti genio a sede apostolica in præfato patruo nostro Drogone venerando episcopo fuerat honorata,* UT UNA CUM PRÆDICTO MINISTERIO ET IMPERATORIS ET APOSTOLICÆ SEDIS ETIAM USU PALLII POTIRETUR; Metensis nempe ecclesia non secus ac Cenomanensis non erat metropolitana. Plura hujuscemodi missa facimus; id unum addere satis habentes Hincmarum (4), Remensem archiepiscopum, S. Adelardi scripta sequentem, originem archicapellanorum deducere a nuntiis seu apocrisiariis apostolicis eosque horum successores facere. Porro ubique fere tum in Oriente tum in Occidente regibus suis fuisse archicapellanos, insigni vestitos auctoritate, res notissima est. (5).

(1) Codex Carolinus, epist. 26, ap. Cenni, Monum. Dominationis pontif. tom. 1, pag. 230, Romæ, 1760.

(2) D. Bouquet, Recueil des hist. de France, tom. 5, pag. 651.

(3) Labbe, Collect. Concil. tom. 8, col. 486.

(4) Epist. de recta institutione principis, num. 13 et 14, D. Bouquet, Recueil des hist. de France, tom. 9, pag. 64.

(5) Cfr. Jos. Caraffa de Capella regis, Romæ, 1749.

5 Immensus vero erat numerus abbatiarum et monasteriorum regalium, ut vel ex sola charta divisionis imperii, inter Carolum II et Ludovicum Germanicum anno 870 factæ, manifestum est (1); et postea usurpatione vel cessione multum iste numerus etiam auctus fuit. Adeoque contendit Baluzius (2), multisque testimoniis comprobare nititur ante exiens sæculum IX omnia Galliæ monasteria sub tuitione seu ditione regia stetisse. Verumtamen hæc mihi aliquantisper exaggerata sunt, quum facile nonnulla exempla citarentur, quibus generale istud assertum limitandum foret.

In Italia quoque ejusdem disciplinæ innumera specimina occurrunt (3).

Non alia erat in Anglia consuetudo; ut, missis vetustioribus chartis, manifestum est ex privilegio quod Gulielmus Conquæstor, solum inter Christianos principes S. Gregorii VII solatium, concessit abbatiæ S. Martini de bello (4). Notæ sunt lites postea motæ ab Episcopo diœcesano adversus libertatem hujus cœnobii, et frustranei ejus conatus (5).

Similiter apud Græcos plura monasteria imperialia erant, eaque nulli archiepiscoporum vel episcoporum parebant. Cujus rei testem habemus, omni exceptione majorem, Innocentium papam III, qui hunc rerum statum confirmavit (6).

6. Non tamen diffitendum est turbatam aliquando fuisse hanc consuetudinem, et ab exeunte sæculo X aliquot Galliæ episcopos contendisse, præter jus et fas abbates monasteriorum non episcopalium omnino a sua jurisdictione immunes esse, adeoque eos partim vicisse, partim victos fuisse. In hoc quippe victi fuerunt, quod monasteria, Romana libertate donata, sibi frustra etiam subjicere voluerint (7); in hoc autem vicerunt quod sæculo tan-

(1) Vide hanc chartam, ap. Pertz, Monum. Germaniæ, tom. 1 leg. pag. 57, Hannoveræ, 1835.

(2) Not. ad B. Lupum Ferrarien. pag. 373 et seq. et 503 et seq.

(3) Vide integrum fere tractatum de monasteriis Italiæ regiis ap. Muratori, Antiquitat. Italic. medii ævi, tom. 14, col. 630 et seqq. edit. 1787.

(4) Dugdale, Monastic. Anglic. tom. 1, pag. 317, Londini 1821.

(5) Cfr. Monasticum Anglicanum, tom. 3, pag. 234.

(6) Lib. 13, epist. 39, tom. 2, pag. 424, edit. Baluzii.

(7) Mabillonius, Annal. Bened. tom. 4, lib. 49, num. 102, pag. 49.

dem XII abbates monasteriorum ingenuorum seu regalium adacti fuerint, ut in sua benedictione obedientiam episcopis promitterent (1). Verumtamen quam primum hæc lis de regalibus monasteriis ad pontificem delata est, multum abest ut episcopis adjudicata sit causa; contra omnino ceciderunt, ut colligitur ex epistola Innocentii II (2) ad Henricum II, Anglorum regem, qui conquestus fuerat de Hugone archiepiscopo Rothomagensi (3), quod *contra consuetudinem* a quibusdam abbatibus Normanniæ, quos *suos* Henricus appellabat, *professionem et obedientiam susceperat*. Itaque, subdit Mabillonius (4), novus tunc erat usus iste in Normannia et *contra consuetudinem* inductus nuper in concilio Remensi. Prævaluit tamen tum Romani pontificis favore, tum principum indulgentia, adeoque facilitate quorumdam abbatum episcoporum auctoritas; et monasteria, quæ sub Romani pontificis tuitione non essent, passim debuerunt episcopis obedientiam, censum annuum, quem *jus synodale* seu *circadas* appellabant, procurationes seu jus hospitii, et processiones solemnes, id est jus celebrandi Missas et conventus solemnes in eorum ecclesiis (5); quibus annexæ erant benedictiones abbatum, monachorum ordinationes, consecrationes ecclesiarum et altarium, necnon chrismatis concessio (6).

7. Prisca tamen consuetudo sæculo elapso nondum omnino ex ecclesia latina sublata erat; siquidem anno 1750 Venetorum dux in monialium monasterium, vulgo *della Vergine* nuncupatum, jurisdictionem adhuc retinebat; unde, si quæ apud moniales corrigenda occurrerent, excluso patriarcha, cui in easdam jus nullum erat, ad solum ducem causa spectabat (7).

(1) Idem. Præf. ad sæc. Bened. 6, part. 1, num. 25, pag. 13.

(2) Dacherius, Spicilegium, tom. 3, pag. 384, edit. 1723.

(3) Ibid. loc. cit.

(4) Præf. ad sæc. Bened. 6, part. 1, num. 23, pag. 13.

(5) Ibid. num. 31, pag. 16.

(6) Ibid. loc. cit.

(7) Comment. in Regulam S. Benedicti, edit. lat. tom. 1, præf. pag. 26.

CAPUT NONUM.

De multitudine monasteriorum singularium olim liberorum.

1. Multa monasteria, prius regia aut episcopalia, ante sæculum XIII facta sunt juris Romanorum pontificum.
2. Plures pontifices definiunt quibus verborum formis designetur plenaria exemptio.
3. Antea monasteria, posita sub protectione sanctæ sedis censumque solventia, æque exempta erant ac monasteria sub ditionem S. Petri recepta.
4. Immensus olim erat utriusque generis monasteriorum numerus.

Licet Romani pontifices ab antiquissimis temporibus passim monasteria, in fundo libero seu non sacro condita et nulli prius subjecta episcopo, in ditionem suam acceperint secundum primævam illam disciplinam, qua licebat nova liberaque monasteria cuilibet episcopo, etiam longinquo, subdere; licet et postea S. Hormisdas papa aliique ejus successores plura ubique terrarum ab episcoporum jurisdictione absolverint monasteria, licet prius eis paruissent, aliquando ut pacem et tranquillitatem in illis conservarent, aliquando ut episcopalem servitutem arcerent, jam ut impedirent ne episcopi ex sua cognatione superiores imponerent, jam ne bona communia dilapidarent. Sed qui hæc singillatim demonstrata videre velit, adeat (si placet) *Examen historicum et canonicum de regularium et sæcularium clericorum juribus*(1), ubi infinitam monumentorum congeriem reperiet.

Verum quum propter tyrannidem principum et bellicas politicasque vicissitudines sæculo XI et XII monasteriorum regiorum conditio, ita paulatim mutata est, ut multa se subduxerint auctoritati regiæ et episcopalem jurisdictionem agnoverint (2), brevi intellexerunt se in Scyllam incidisse cupientes vitare Cha—

(1) Pag. 215-245.

(2) Cfr. Richerius, Chronicum Senoniense, lib. 2 cap. 2; 4, 24 c. ap. Dacherium, Spicilegium, tom. 2, pag. 612, 613, 619.

rybdim. Quapropter recurrerunt ad Romanos pontifices, qui illis temporibus faciliores quam umquam fuerunt ad concedenda exemptionis privilegia. Sed hæc negat nemo, ne infensissimi quidem immunitatum monasticarum hostes.

Si quis autem animo complecti velit quot, qualia, quantaque privilegia ante sæculum XIII jam concessissent Romani pontifices percurrere velit *Regesta pontificum Romanorum ab condita ecclesia ad annum post Christum natum* 1198, quæ anno 1851 Berolini edidit Philippus Jaffé; aut, si illa justo ampliora videantur, *indicem* Patrologiæ Mignianæ *CXXIV* seu *immunitatum, exemptionum et privilegiorum a potestate tum ecclesiastica tum civili concessorum ecclesiis, ministris, monasteriis etc. ordine concedentium alphabetico digestum summatimque exponentem naturam privilegiorum et immunitatum* et similiter *indicem CLXXIX* seu *omnium monasteriorum tum virorum tum feminarum, quorum mentio fit in Patrologia latina, cujusque locum et tempus fundationis seu restaurationis cum summorum pontificum privilegiis, regum nobiliumque virorum diplomatibus et chartis exponentem.* Re quidem vera, quum magna pars regestorum Romanorum pontificum perierit et quæ superest non tota fuerit edita in lucem, innumeraque diplomata singularia in scriniis et tabulariis adhuc lateant, non inde intelligi possunt omnia quæ ad hæc illa tempora proposuerunt Romani pontifices de libertate religiosorum decreta; sed tot tamen sunt et tam ampla quæ illic indicantur ut admirationem excitent.

2 In illis utique complura sunt quibus bonorum conservationi prospiciatur aut litigia dirimantur; sed infinitus eorum est numerus quibus sua monasteriis asseratur libertas a jurisdictione diœcesana. In qua concedenda aut confirmanda quum usi semper non essent Romani pontifices eisdem verborum formulis, necesse aliquando fuit eas definire. Imprimis multa ubique terrarum exsistebant monasteria sub protectione aut ditione Romanæ ecclesiæ, censum solventia annuum, certam scilicet pecuniæ ratiunculam, ornamenta seu ministeria ecclesiastica, terræ fructus aut animantia, quin etiam halecas. De his præsertim non una erat sententia. In expendendis itaque privilegiis considerandæ imprimis sunt binæ decretales literæ ;

alteræ quas anno 1179 Alexander papa III ad apostolicæ sedis legatum dedit, alteræ quas anno 1298 Bonifatius papa VIII condidit. Statuit scilicet Alexander III (1) *ut, si fuerit deprehensum quod ecclesia quæ censum solvit* SPECIALITER B. PETRI JURIS EXSISTAT,*et ad indicium* PERCEPTÆ LIBERTATIS *census annuus conferatur, non immerito poterit speciali prærogativa gaudere. Si vero,* sic pergit, *ad indicium* PERCEPTÆ PROTECTIONIS *census persolvitur, non ex hoc juri diœcesani episcopi aliquid videtur esse subtractum.* Idem principium applicuit personis Innocentius III, sed multo fusius hæc explicuit Bonifatius VIII : *Si papa,* inquit (2), *ecclesiæ vel monasterio exemptionis privilegium concedendo, vel super ipsius exemptiones sententiando .. asserat ipsam ecclesiam fore* EXEMPTAM, *aut etiam* JURIS BEATI PETRI *exsistere, sive* AD JUS ET PROPRIETATEM ROMANÆ ECCLESIÆ, *vel* AD ROMANAM ECCLESIAM SPECIALITER AUT SINE MEDIO, *vel etiam simpliciter* PERTINERE : *per hoc plene debet exempta hujusmodi ecclesia judicari. Quum enim jure communi omnes ecclesiæ, per orbem diffusæ, ad Romanam ecclesiam pertineant ; si id alicui concedatur ecclesiæ, vel de ea per sententiam judicetur, ex hoc ipsius comprobatur exemptio, ut privilegii nihil alias allatura concessio ei, cui conceditur, et sententia nullum aliter datura subsidium ecclesiæ pro qua fertur prærogativam (quum verba aliquid operari debeant) conferat gratiae specialis. Et est idem, si privilegium contineat, vel ipse papa per modum exprimat supra scriptum, quod ecclesia sit* LIBERA, *vel quod in hoc* PRÆROGATIVA *gaudeat* SPECIALI : *aut si dicat indefinite, quod ecclesiæ Romanæ annuum censum solvat* AD PERCEPTÆ INDICIUM LIBERTATIS ; *sive quod ipsam ecclesiam* EXIMIT AB ORDINARII POTESTATE : *vel quod* NON AUDEAT ILLIC EPISCOPUS CATHEDRAM COLLOCARE, AUT IMPERANDI (SEU ORDINATIONEM QUAMVIS LEVISSIMAM FACIENDI) EXERCERE ALIQUAM POTESTATEM... *Si vero dicatur simpliciter, quod aliqua ecclesia Romanæ ecclesiæ annuum censum solvat, non propter hoc exempta ecclesia dici debet... Licet autem sic diversos privilegiorum, quibus ecclesiæ, ac monasteria eximuntur, tenores ad litium materiam ampu-*

(1) *De privilegiis et excessibus privilegiatorum*, cap.8, *Recepimus literas* (lib. 5, tit. 33).

(2) *De privilegiis, in sexto*, cap. 10, *Si papa*, (lib. 5, tit. 7).

tandam duxerimus designandos : per hoc tamen aliis exemptionum, si reperiantur, seu aliarum libertatum modis vel eorum effectibus nolumus aliquatenus derogari. Hactenus Bonifatius VIII.

Ex his intelligitur post Alexandri III et Bonifatii VIII decreta formulas, quæ meram *tuitionem* aut *protectionem* exprimerent, etiamsi census annui adjecta esset conditio, non amplius valuisse ad condendam exemptionem ; sed illas tantum formulas quæ *ditionem, jus, proprietatem* sanctæ sedis, *libertatem* monasterii aut *exclusionem auctoritatis* episcopi aperte designarent. Verum, ut habetur tum ex quæstionibus legati Alexandrum III sciscitantis, tum ex clausula decretalis Bonifatii VIII, ante hæc statuta non ita manifesta res erat ; adeoque non dubitamus asserere, saltem usque ad exiens sæculum XI hanc distinctionem inter *ditionem* et *protectionem* et reliqua non agnitam aut observatam fuisse in condendis diplomatibus libertatis Romanæ ; unde factum sit, ut per illas decretales plura monasteria exemptionem suam amiserint (1).

Quod ut patefiat, satis fuerit amandare lectorem ad plurimas bullas, quas in Antiquitatibus Italicis medii ævi (2) Ludovicus Muratorius congessit : quas inter nonnullas reperire est in quibus vocabula *protectio* et *ditio*, *patrocinium* et *jus* aliaque id genus ut synonyma manifeste adhibentur : adeo ut, dum *protectio* postulari dicitur, concedatur *susceptio in jus* aut *ditionem* sanctæ sedis, et ut in iisdem rescriptis *ditio* paulo inferius appelletur *patrocinium* : ita scilicet permiscentur et ejusdem censentur esse valoris hæc eadem vocabula, quæ postea tam diversa significarunt (3). Maxime autem notari meretur privilegium exemptionis monasterii B. Mariæ de Pomposia, datum anno 1052 a S. Leone papa IX ; in quo leguntur sequentia (4). *Constituimus et ordinamus per illam auctoritatem, quam Christus Dominus noster B. Petro Apostolorum principi suæque*

(1) Benedictus XIV, bulla *Causarum palatii*, tom. 2. constit. 40, vol. 5, pag. 322 et seqq. edit. Mechliniæ.

(2) Cfr. præsertim tom. 13, 14 et 15, edit. Aretiensis. 1778.

(3) Cfr. inter alia multa ap. Muratori, Antiq. medii ævi, tom. 14, col. 203 et seqq.; ibid. col. 217 et seqq.

(4) Ibid. tom. 13, col. 125 et seqq.

ecclesiæ rectoribus concessit, ut numquam locus ipse, aut res ad ipsum pertinentes, alicui submittantur personæ, nisi APOSTOLICÆ TUITIONI *et* REGIÆ DITIONI. Unde natum est colligere, sæculo XI de monasteriis exemptis regiis seu imperiabilibus dictum non fuisse ea esse *sub apostolica ditione*, sed tandum *sub tuitione apostolica*. Utut est, indubium omnino nobis videtur saltem usque ad exiens sæculum XI aut medium XII monasteria, quæ essent sub *protectione, patrocinio, defensione, tuitione* sedis Romanæ, æque exempta fuisse ac ea quæ in diplomate dicerentur esse sub ejus *ditione, pertinere ad* ejus *jus*, seu *de* ejus *proprietate* esse. Hinc intelligitur quomodo Rota, non obstante decreto Bonifacii VIII, decidere potuerit *censeri concessam plenariam exemptionem, quando una cum receptione sub protectione sedis apostolicæ concurrit etiam onus aliquid solvendi* (1). Distinctio autem, ab Alexandro III inducta, ortum suum debere videtur consuetudini, qua pluribus ecclesiis et totis regnis protectionis litteræ datæ fuerant, quibus cavebatur ne episcopi absque sanctæ sedis consensu interdictioni subjicerent ea loca ; sed nuspiam fere hujusmodi limitatio monasteriorum privilegiis adjecta fuerat. Atque hæc pauca, quæ de aliquot verborum significatione præmittenda duximus, nemini nova videantur, quum passim Mabillonius in Annalibus Benedictinis et Muratorius in Antiquitatibus Italicis medii ævi similia jam pridem docuerint.

4 Usum autem illum solvendi quotannis certam pecuniæ ratiunculam aut dona aliquot mittendi ad sanctam sedem in indicium libertatis perceptæ seu immediatæ ditionis pontificis repetit Muratorius ex imitatione reipublicæ civilis : *Uti allodia*, inquit (2), *alicui in emphyteusim concedentes, præscribere solent censum quotannis persolvendum, in signum præsertim directi dominii : ita et manasteria atque ecclesiæ, quæ allodiorum ad instar Romano pontifici donata, ad plenam ipsius potestatem spectabant, quoties alicui incolenda dimittebantur, census annui obligationem quodammodo pariebant.*

(1) Rot. apud Seraphinum, decis. 1025, num. 8, et in Theatina, seu nullius jurisdictionis de Bucclanico 23 Junii 1614, coram Rev. D. Coccino decano, in fin. Op. decis. 59, num. 3, Ap. Tamburinum, de jure Abbatum, disput. 15, quæst. 6, num 19, tom. 1, pag. 154.

(2) Antiq. Ital. med. ævi dissert. 69, tom. 14, col. 189 et seqq.

Sed, quod præcipuum est monasteria censuaria seu quæ sub protectione aut ditione Romani pontificis erant et simul solvebant censum, nemo umquam enumerare poterit. Ad annum 600 jam mos ille inoleverat ; sed crevit deinceps semper et ubique propagatus est, etiam usque ad extremam Norvegiam. Verum nolim hæc pluribus prosequi, quæ alibi (1) fuse declaravi.

(1) Examen hist. et canon. pag. 234 et seqq.

CAPUT DECIMUM

De exemptione Monasteriorum, in congregationem coactorum.

1. Monasteria olim erant singula neque sibi invicem obnoxia.
2. Hujus rei incommoda.
3. Congregationum monasticarum utilitas comprobata reformatione S. Benedicti Anianensis.
4. Congregationis Cluniacensis fausta initia et extensio.
5. Exemptio universæ congregationis Cluniacensis concessa et confirmata.
6. Auctoritas et libertas abbatum Cluniacensium a B. Urbano papa II aliisque Romanis pontificibus sæpius confirmata et defensa.

Monasteria de quibus hactenus diximus singularia fere erant neque ullo auctoritatis vinculo inter se unita. Initio scilicet regulæ erant diversissimæ et plures sæpe usitatæ in uno monasterio, ita tamen ut potius directionis et exempli quam legis aut necessitatis vim haberent, quum abbatum arbitrium viva regula esset. Prævaluerunt deinde regulæ S. Columbani et S. Benedicti. Sed inde tamen nullum imperandi jus acquisitum uni monasterio, neque obsequii præceptum impositum alteri; sed abbates singuli, quasi reges liberi suorum monachorum erant. Siquod monasterium neminem haberet inter suos monachos qui digne abbatiali officio fungeretur, licebat his eligere aut postulare monachum alterius asceterii, qui sibi abbatis titulo præesset: qui si cum abbatis sui venia consensisset, liber fiebat a priori collegio et adscriptus posteriori, quasi illic primum vitam monasticam professus esset. Quocirca neque hoc titulo unum monasterium obnoxium fiebat alteri. Censebatur tamen unus ordo monasticus propter unitatem professionis religiosæ, nequaquam quia ei generalis præpositus aut aliud quodcumque generale gubernium præsideret; quemadmodum et nunc unus ordo exsistit diaconorum, unus ordo presbyterorum, unus ordo episcoporum et similium, propter conditionis unitatem, non autem ratione obedientiæ.

2 Sed hoc incommodum erat quod nihil fere extrinsecus erat, quo disciplina regularis integra servaretur ; ita ut, si abbas aut vitio animi aut senectutis pondere deficeret et monachorum sanctitas abbatis defectum non suppleret, res non possent non dilabi. Jam pridem utique intellectum erat quantum præsidii esset in visitatione abbatis cujusdam præcipui, ut videre est in Vitis SS. Antonii, Hilarionis, Pachomii, Euthymii, Sabæ aliorumque, quibus usitatum erat discipulos suos, longe lateque sparsos et diversa habitantes monasteria cellasve vicinas, lauras, mandras aliisve nominibus dictas, quotannis fere invisere, alios excitantes, alios corripientes, universos ad sanctimoniam et severitatem vitæ adhortantes. Sed hoc institutum, quum potius paternitate spirituali quam certa lege niteretur, perenne non erat et fere cum abbatum vita cessabat. Neque sufficiens erat remedium a conciliis Africanis præscriptum, quo litigia, siquis monasterii abbas finire non posset, aut si ipse correptione dignus videretur, ad judicium aliquot vicinorum abbatum (quemadmodum et causæ episcopales ad vicinos episcopos) deferebantur. Si enim judicialis forma a societate civili jurgia arcere possit, neutiquam eamdem vim in societate domestica habet. Quapropter, quum vita monastica propior sit societati domesticæ quam civili, frustra exspectes ab actionibus forensibus disciplinæ integritatem aut restitutionem. Hæ quidem utiles aliquando sunt et idcirco nequaquam negligendæ ; plerumque tamen impares et infirmæ ; ita ut passim in monasteriorum regimine auctoritas paterna plus valere censeatur quam judiciariæ rationes.

3. Unde factum est ut, quotiescumque disciplina religiosa restituta fuit, præsidium petitum sit ab institutione quadam quæ utramque in se utilitatem contineret aliaque ministraret subsidia, scilicet a monasteriorum sub uno capite congregatione. Hoc imprimis tentatum est anno 817, quum synodus Aquisgranensis, cujus opera quum canonicorum tum monachorum res ad meliorem conditionem reductæ sunt, cura et auctoritate Ludovici Pii imperatoris celebrata est. Tum enim, ut secundum Ardonem monachum tradit Mabillonius (1), a Ludovico S. Benedictus,

(1) Ex Vita S. Benedicti Anianensis, num. 63, tom. 2, pag. 435. ap. Mabillonium, Annal. Bened. lib. 28,

Anianensis abbas, qui jam ante *habebat sub suo regimine monasteria duodecim* (1) *cunctis regni sui cœnobiis præfectus est, ut, sicut Aquitaniam et Gothiam, ita Francos salutifero imbueret exemplo, adeoque ut harum partium monasteria, quæ a regulari norma defecerant, ad pristinum statum revocaret. Ut autem, quemadmodum una omnium erat professio, iisdem etiam esset salubris una consuetudo, Benedictus jussu imperatoris, congregatis cunctorum cœnobiorum patribus una cum plurimis monachis, multos cum illis resedit dies, regulam ex integro discutiens, obscura dilucidans, dubia solvens; sicque veteres abstulit errores, priscosque ritus avitæ disciplinæ restituit; atque ex eis* CAPITULARE INSTITUTUM, *id est statuta synodo Aquisgranensi probata, imperatori confirmanda porrexit, ut in omnibus regni sui monasteriis ea observari juberet. Id vero lubens exsecutus est imperator, missis per singula monasteria inspectoribus, qui eam cunctis formam traderent et qui traditam observari curarent. Perfectum itaque propagatumque est opus, divina opitulante misericordia, et una ubique generaliter observata est regula, ac demum universa monasteria ita ad formam unitatis redacta sunt, quasi ab uno magistro et uno in loco informarentur : adeo uniformis in cibo et potu, in vigiliis et psalmodia, cæterisque religionis officiis vivendi ratio instituta est. Horum omnium dux, caput et veluti anima erat Benedictus, cui omnia, tamquam generali præposito monasteria obtemperabant.* Atque in his peragendis ab episcoporum jurisdictione liber erat S. Benedictus, utpote auctoritatem suam ab imperatore cum consensu synodi nationalis Aquisgranensis habens.

4. Sed, quæ miseria temporum fuit, non multo post imperium Francorum et per principum socordiam et per Normannorum invasiones ita luxatum est ut res spirituales æque ac temporales omnino difluxerint; unde sæculo IX atque etiam deinceps monasteria pleraque incredibilia fere acceperunt detrimenta, periitque omne congregationis monasticæ vinculum.

Sed anno 910 novum institutum est cœnobium, Cluniacense videlicet, quod per plura sæcula seminarium quasi fuit sancto-

(1) Indensium de S. Benedici morte epistola, ap. Mabillonium, Annales Bened. lib. 29, cap. 9, tom. 2, pag. 461.

rum virorum, quorum alii fulserumt in cœnobiis, alii in episcopali dignitate, alii in ipsa S. Petri cathedra. Quum itaque, ut loquitur Araldus, Carnotensis episcopus (1), *tamquam florens hortulus suavissimo liliorum atque rosarum odore perflaretur*, alia complura monasteria, in quibus spiritus Dei oppressus potius quam exstinctus erat, ad participandam tantam gratiam paulatim anhelare cœperunt. Primum concessum anno 931 a Joanne XI, qui legitimus in Galliis Romanus pontifex habebatur, ut eo se recipere possent aliorum cœnobiorum monachi, donec hæc ad meliorem disciplinam revocarentur, quin etiam ut, *si cœnobium aliquod ex voluntate illorum, ad quorum dispositionem pertinere videtur, in sua ditione ad meliorandum suscipere consenserint* [Cluniacenses, pontificiam] *licentiam ex hoc haberent.* Quantus autem exinde monasteriorum et cellarum numerus venerit sub potestatem abbatis Cluniacensis non facile dictu est. Martinus Marrier in *Bibliotheca Cluniacensi*, quam Andreas Quercetanus disposuit notisque illustravit, nongenta circiter reensuit; sed multum abest ut colligere potuerit nomina omnia.

5 Ab exordio liberum fuerat Cluniacum ab auctoritate episcopi diœcesani, *subjectumque soli Romanæ ecclesiæ, cui per singula quinquennia decem solidi ad luminiaria Apostolorum persolverentur* (3). Quoties autem nova ei tribuebantur aut villæ, aut cellæ, aut monasteria, toties (ut in Bullario Cluniacensi videre est) adibant sanctissimi abbates sedem apostolicam, ut illa quoque sub ejus protectionem reciperentur. Sed sæpius exemptiones illæ impetitæ et a Romanis pontificibus defensæ fuerant. Quo vero illis jurgiis finis (si fieri potuisset) imponeretur, rogavit S. Odilo abbas S. Henricum imperatorem ut preces ejus suis conjungeret quo facilius a Joanne papa XIX obtineretur solemnis et universa omnium Cluniacensium monasteriorum et libertatis confirmatio. Admisit has preces pontifex ediditque diploma quod sequitur (4) : *Joannes episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo filio Odiloni abbati monasterii, quod dicitur Cluniacum, in*

(1) Ap. Dacherium, spicilegium, tom. 6, pag. 452.
(2) Bullarium Cluniacense, pag. 1.
(3) Mabillonius, Annales Bened. lib. 41, num. 60, tom. 3, pag. 335.
(4) Bullarium Cluniacense, pag. 8.

honore beatorum apostolorum Petri et Pauli consecratum, in Comitatu Matisconensi situm, et per te cunctis successoribus tuis abbatibus in perpetuum. Cum omnium fidelium petitionibus et necessitatibus subvenire debeat apostolicæ charitatis gratia, multò magis his est impertienda ejus beneficii clementia, quos singulariter proprios et specialiter filios se gaudet habere sancta Romana Mater Ecclesia, et suæ utilitatis gratia, et præcedentium patrum authoritate egregia, quorum etiam desideriis et votis eo plenius parere debet auctoritatis apostolicæ sublimitas, quo certius constat eos nonnisi illa desiderare et expetere, quæ sunt ad honestatem sanctæ pietatis, et utilitatem veræ religionis. Et quoties in suæ necessitatis commodis nostrum assensum, et solitæ apostolicæ auctoritatis audiverint humiliter requirere præsidium, ultro benignitatis intuitu nos convenit subvenire, et rite pro integra securitate solidare, ut ex hoc nobis quoque potissimum præmium a conditore omnium Deo in sydereis arcibus contribuatur. Et ideo quia postulastis a nobis ut præfatum monasterium apostolicæ auctoritatis serie muniremus, et omnia ejus pertinentia perenni jure ibidem inviolabiliter permanenda confirmaremus, et absque omni jugo seu ditione cujuscumque personæ constabilire nostri privilegii pagina studeremus. Propterea tuis flexus precibus, ob interventum Domni invictissimi et pii Henrici imperatoris augusti, ejusque remedium animæ per hujus nostræ auctoritatis privilegium statuentes decernimus, ut cuncta loca et monasteria ad prædictum Cluniense Cœnobium pertinentia, quæ ab aliquibus fidelissimis christianis, regibus, episcopis, ducibus seu principibus eidem loco sunt concessa, et ab Antecessoribus tuis abbatibus adquisita, Bernone videlicet, Odone, Eymardo, et beatæ recordationis sancto Mayolo prædecessore tuo, vel quæcumque ad eumdem locum pertinere videntur, absque ullius contradictione, cum magna securitate quietus debeas possidere, et per te universi successores tui in perpetuum. Necnon sub divini judicii promulgatione et confirmatione, et anathematis interdictione corroborantes decernimus, ut nullus episcopus, seu quilibet sacerdotum in eodem venerabili cœnobio pro aliquâ ordinatione, sive consecratione ecclesiæ, presbyterorum, aut diaconorum, missarumque celebratione, nisi ab abbate ejusdem loci invitatus fuerit, venire ad agendum præsumat; sed liceat monachis ipsius loci cujus-

cumque voluerint ordinationis gradum suscipere, ubicunque tibi tuisque successoribus placuerit. Interdicimus autem sub simili anathematis promulgatione, ut isdem locus sub nullius cujuscumque episcopi, vel sacerdotis deprimatur interdictionis titulo, seu excommunicationis vel anathematis vinculo. Non enim patitur sanctæ Sedis apostolicæ authoritas, ut ullius cujuscunque personæ obligatione proscindatur a se cuilibet concessa liberalis libertas : neque ipsius loci fratres ubicunque positi, cujuscunque episcopi maledictionis vel excommunicationis vinculo teneantur astricti. Inhonestum enim nobis videtur ut sine nostro judicio, a quoquam anathematizetur S. Sedis apostolicæ filius, veluti cujuscumque subjectæ ecclesiæ discipulus. Si qua vero competens ratio adversus eos quemquam moverit, et hoc aliter determinari vel definiri nequiverit, judicium apostolicum, quod nulli præjudicium prætendere patitur, super hoc patienter præstoletur et humiliter requiratur. Decernimus etiam, et illius, cujus vice quamvis indigne fungimur, auctoritate sancimus, ut isdem locus omnibus ad se ob salutem confugientibus, sit misericordiæ sinus, sit totius pietatis et salutis portus. Obtineat in eo locum justus, nec repellatur pœnitere volens iniquus. Præbeatur innocentibus charitas mutuæ fraternitatis, nec negetur offensis spes salutis et indulgentia pietatis. Et si aliquis cujuscunque obligatus anathemate eumdem locum expetierit, sive pro corporis sepultura, seu alterius suæ utilitatis et salutis gratia, minime a venia et optata misericordia excludatur, sed oleo medicamenti salutaris fovendus benigniter colligatur. Quia et justum sic est, ut in domo pietatis et justo præbeatur dilectio sanctæ fraternitatis, et ad veniam confugienti peccatori non negetur medicamentum indulgentiæ et salutis. Sit autem omnibus ibi advenientibus causa salutis hic et in perpetuum divinæ miserationis et pietatis refugium, et apostolicæ benedictionis et absolutionis præsidium. Decernimus præterea et omnino constituimus, ut prædicti loci obeunte abbate, non ibi alius cujuscunque personæ violentia constituatur ordinandus, sed ab ipsa congregatione loci secundum timorem Dei et institutionem legislatoris Benedicti, pater qui sibi præesse debeat eligatur, atque ad eum ordinandum qualiscunque illis placuerit advocetur episcopus. Quascunque vero terras nunc tenes, et quas tu tuique successores adquirere potueritis, in perpe-

tuum possidendas concedimus vobis. Si quis autem temerario ausu (quod fieri non credimus) contra hujus nostræ apostolicæ confirmationis seriem venire aut agere tentaverit, sciat se Domini nostri, et apostolorum principis Petri anathematis vinculo innodandum, et cum diabolo ejusque atrocissimis pompis, atque cum Juda traditore Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi in æternum ignem concremandum, simulque in voraginem tartareumque chaos demersum cum impiis deficiendum. Qui vero custos et observator hujus nostri privilegii extiterit, benedictionis gratiam et vitam æternam a Domino consequatur, etc. Amen.

6. Qui post Joannem XIX occuparunt S. Petri sedem, rogatu aliorum imperatorum et principum renovarunt idem diploma, plerumque multo expressius. Qua auctoritate freti Cluniacenses abbates visitabant subdita sibi monasteria, emendabant mores et consuetudines, ipsique censebantur omnium cœnobiorum abbates, ut in iisdem non minor sibi esset auctoritas quam Cluniaci. Verumtamen, quum necesse esset illic quoque institui superiores, instituebant quos voluissent abbates aut potius proabbates seu coabbates. Paulatim tamen intellectum est communitate nominis obscurari auctoritatem abbatum Cluniacensium; quapropter videbatur hujus archiasceterii monachis monasteria obnoxia, quantacumque essent, in cellas aut prioratus redigere, quibus non abbas præesset, sed prior. Quod aliquandiu prævaluit. Sed quum tantum esset abbatum Cluniacensium imperium, fieri non poterat ut recte suo munere fungerentur, si episcopi singularum diœcesium, in quibus monasteria gubernanda eis essent, intercederent; quam ob causam tanto magis necessarium erat ut hi a Romano pontifice cohiberentur, quod ne ipsius quidem Cluniacensis monasterii libertas, tam antiqua et tot apostolicæ sedis decretis confirmata, ab episcoporum Matisconensium usurpatione secura erat. Beatus itaque Urbanus papa II anno 1088 novum diploma edidit (1), quo non solum *quidquid libertatis, quidquid immunitatis,, quidquid auctoritatis* Romani pontifices abbati et Cluniacensi monasterio concesserant confirmavit, sed expresse *decrevit atque stabilivit* NE QUIS (hæc ejus sunt verba) ULTRA LEGATUS *Romani antistitis, vices in vestris* (scilicet transalpinis)

(1) Bullarium Cluniacense, pag. 23.

partibus agens, ABSQUE IPSIUS LICENTIA VEL PRÆCEPTIONE BUCCAM IN VOS AUT VESTRA MONASTERIA AUDEAT APERIRE, *vel nisi ad idipsum specialiter dirigatur*; EPISCOPIS VERO, IN QUORUM DIOECESIBUS VESTRÆ SUNT FACULTATES, OMNINO NON LICEAT DE VESTRIS MONACHIS AUT MONASTERIIS JUDICARE *salvo canonico illo jure* (dandi nempe chrisma et alia episcopalia), *quod in eis hactenus habuerunt; siquid autem causæ in eos habuerint, te tuosque successores appellent; quod si per vos* (sic alloquitur S. Hugonem, abbatem Cluniacensem,) *lis nequiverit definiri, ad sedem apostolicam referatur, ejus solius vel legati ejus judicio definienda.*

Anno autem 1095 ad S. Hugonem novum iterum diploma dedit idem beatus pontifex: in quo post recensita innumera monasteria quæ Cluniacensis juris erant, sic pergit (1): *Hæc omnia, vel quæ in futurum Domino adjuvante poteritis adipisci, tibi tuisque successoribus ita perpetuo regenda, disponenda ac possidenda firmamus; ut nemini umquam liceat eorum aliquid a cœnobii Cluniacensis unitate subtrahere. Porro, sicut a beatæ memoriæ papa Gregorio* (VII) *in Romana synodo et a nobis nuper in Placentina statutum est, præsenti privilegii auctoritate decernimus, ut nulli sit archiepiscopo, nulli episcopo, nulli apostolicæ sedis legato facultas sine certo Romani pontificis præcepto adversum vos aut vestrum cœnobium excommunicationis aut interdictionis proferre sententiam, neque vestra vobis invitis judicia ventilare.* Ineunte vero anno 1099 renovavit omnia jam pridem concessa privilegia, (2), et imprimis *sub divini judicii promulgatione et confirmatione et anathematis interdictione corroborans decrevit ut nullus episcopus, seu quilibet sacerdotum in eodem venerabili cœnobio, neque omnino in aliquo loco huic subdito, pro aliqua ordinatione seu consecratione altaris vel ecclesiæ, presbyterorum vel diaconorum, missarumque celebratione nisi ab abbate ejus cœnobii vel prioribus, eidem cœnobio subditis, invitatus fuerit, venire ad agendum præsumeret; sed ut liceret monachis* (congregationis Cluniacensis), *ubicumque positis, cujuscumque voluerint ordinationis gradum suscipere, ubicumque* S. Hugoni ejusque successoribus placuerit. *Interdicimus autem,* sic pergit

(1) Ibid. pag. 24. (2) Pag. 50.

B. Urbanus, *sub simili anathematis promulgatione, ut neque Cluniacum, neque loca ad id pertinentia ubicumque episcopi vel sacerdotis deprimantur interdictionis titulo, seu excommunicationis vinculo vel anathematis: non enim patitur sanctæ sedis apostolicæ authoritas ut illius cujuscumque personæ obligatione proscindatur a se cuilibet concessa libertatis potestas.*

Centies renovarunt aut ampliarunt qui postea S. Petri thronum occuparunt privilegium libertatis Cluniacensium monasteriorum, ut quotusquisque ex Cluniacensi bullario colligere potest. Id aggressi sunt sæpius episcopi; sed continuo represserunt hæc conamina Romani pontifices, atque ipsi Cluniacenses sanctissimi abbates acriter conditionem suam vindicarunt, probe sibi conscii congregationem monasticam virilem, quæ scilicet constet ex multis dissitisque monasteriis sub uno capite, sive abbas sive capitulum generale sit, ruinæ proximam esse si suprema auctoritas libera non sit ab interventu tot episcoporum quot fere sunt monasteria.

CAPUT UNDECIMUM.

De exemptione Cisterciensium aliarumque congregationum seu ordinum regularium.

1. Congregationum monasticarum, sæculo XI exortarum, utilitas.
2. Necessitas earum libertatis.
3. Origo exemptionis congregationis Cisterciensis.
4. S. Bernardus culpabat multas exemptiones.
5. Verumtamen pro mercede extincti schismatis Petri Leonis petiit ab Innocentio II confirmationem et extensionem libertatis Cisterciensium.
6. Episcoporum culpa libertas Cisterciensium fit paulatim plena.
7. Similiter omnes aliæ congregationes regulares fiunt liberæ.
8. Quanta auctoritas fundatorum et Romanorum pontificum hanc libertatem ambientium aut concedentium.
9. S. Franciscus Assisias contrarius non fuit exemptioni congregationum regularium, sed singularibus privilegiis ; et quidem jure merito.
10. Boni episcopi fere numquam adversati sunt exemptioni congregationum regularium.

Quum ex Cluniacensis congregationis regimine tanta proficiscerentur bona ut satis ea extollere non posse viderentur Romani pontifices aliique sanctissimi viri, sæculo XI cœptæ sunt aliæ complures institui ad illius exemplum congregationes, quarum utique laus in ecclesia Dei minima non fuit. Audiatur de his Mabillonius in vestibulo illius sæculi : *Hactenus,* inquit (1), *unum sancti Benedicti ordinem exhibuimus, necdum in varias partes divisum, sed eodem habitu et eodem fere vivendi genere uniformem ; at deinceps ab sæculo XI, quod modo ingredimur, eumdem in varias congregationes, veluti diversos in ordines, distinctum visuri sumus, diversis ritibus, diversoque habitu a se invicem disparatos. Alia quippe disciplina fuit, aliusque modus et habitus Camaldulensium, Romualdo auctore ; alius Vallumbrosanorum sub Joanne Gualberto ; alius Cartusiensium atque Grandimontensium, quorum institutores sanctissimi, Bruno et Stephanus, Be-*

(1) Annales Bened. lib. LII, num. 4, tom. 4, pag. 146.

nedictinæ regulæ non omnino addicti fuere; alius denique Cisterciensium, qui sub finem istius sæculi exorti sunt. Soli nigrum habitum retiunerunt cum antiquis monasteriis Cluniacenses, qui et ipsi demum quasi quemdam distinctum ordinem constituerunt. His omnibus, tot veluti luminibus, resplenduit ordo noster ne dicam ecclesia : atque inde prodiere viri sanctitate et doctrina illustres quam plurimi, in decursu horum Annalium commemorandi: quorum alii ad summum pontificatum, alii ad alias ecclesiæ dignitates provecti fuere : alii contra hæreses, alii contra pravos sæculi mores dimicarunt : alii denique pro fide et religione sanguinem suum profundere non dubitarunt. Hinc nova in illorum gratiam condita fuere monasteria, non modo in Occidente, sed etiam in Oriente, ubi ordo noster hoc sæculo propagari cœpit.

2. Hae quidem congregationes omnes ab initio non ita institutæ sunt ut unum esset in potestate alterius aut ut capitula generalia celebrarent; sed prima vincula in hoc fere constiterunt ut unum esset vitæ genus, communes consuetudines et mores, unaque origo. Verum, paulatim experientia docuit bona illa servari non posse, nisi eadem custodiret conservaretque commune gubernium. Quod quum prævaluit, visa sunt Romanis pontificibus monasteria illarum congregationum ab episcoporum diœcesanorum eximenda jurisdictione; quoniam vix aut nevix quidem fieri potest ut regularis exsistat ordo sub generali præposito aut capitulo, si ii qui præsunt nuspiam libere explicare possint suam auctoritatem. Sed in immensum cresceret hic liber, si singularum illarum congregationum immunitatis historiam prosequeremur. De uno itaque Cisterciensi ordine, qui reliquos omnes monasteriorum numero longissime superavit, dicendum videtur.

3. Tritum est apud Cistercienses hoc de ordine suo distichon (1) :

Sanctus, et exemptus, primaque ab origine liber :
Nullus in hunc quidquam juris habere potest.

(1) Manrique, Annales Cisterc. ad an. 1114, cap. 3, num. 7.

In quo aliquid veri, aliquid falsi inest. Integra certe non erat episcopis diœcesanis sua in Cistercienses jurisdictio, sed neque omnino suppressa. Quum scilicet natum est Cistercium, invaluerat jam pridem mos, ut abbates in benedictione sua obedientiam episcopo profiterentur, atque primi Cistercienses monachi timerent ne plus damni quam emolumenti ex universali hac professione oriretur, Hugo, primus Pontiniacensis abbas, anno 1114 exceptionem inseruit et Humbaldo, episcopo Antissiodorensi, nonnisi SALVO ORDINE Cisterciensi obedientiam promisit, hac usus formula (1) : *Ego Hugo, Pontiniacensis abbas, subjectionem, reverentiam et obedientiam, a sanctis patribus institutam, secundum regulam sancti Benedicti tibi, Domine Humbalde episcope, tuisque successoribus canonice substituendis et sanctæ sedi Antissiodorensi*, SALVO ORDINE NOSTRO, *perpetuo me exhibiturum promitto.* Quam formulam totus deinde ordo adoptavit, et confirmarunt Lucius III, Urbanus III, Clemens V et alii multi Romani pontifices. Quum autem in Charta caritatis, (quæ anno 1119 prodiit,) ab initio et sæpius deinceps a Romanis pontificibus multisque episcopis approbata fuit et quæ leges capit, quibus Cisterciensia monasteria inter se devinciantur et unam congregationem componant, juberetur Cisterciensis abbas novorum abbatum electionem dirigere, ubique ut abbas matris totius ordinis recipi, semel quotannis sua aut aliena opera singulas filiales abbatias visitare, generale capitulum, cujus tanta sit auctoritas ut et ipsummet abbatem Cisterciensem deponere possit, quotannis cogere, aliaque multa agere quæ interventum episcoporum diœcesanorum excludere viderentur, inde deduxerunt Cistercienses omnes suas domos a visitatione episcoporum liberas esse. In quam sententiam etiam respondit Innocentius IV his verbis (2) : *Ipse ordo, sicut olim, sic in posterum, ab ejusdem dumtaxat abbatibus et monachis idoneis, quos vos, filii abbates, ad hoc provideritis deputandos, et* A NULLO ALIO VISITARI POSSIT AUT CORRIGI. Quum tamen procurationes sibi deberi contenderent episcopi, eas item redarguit Alexander papa IV : *Quia sic sunt,* inquiens (3), *procurationes visitationi annexæ, ut prælatis non*

(1) Ibid. num. 2.
(2) Ibid. num. 7.
(3) Ibid. num. cit.

sint, nisi visitent, exhibendæ, auctoritate præsentium ne quisquam diœcesanus aut prælatus alius a vobis procurationes hujusmodi exigere vel extorquere præsumat. Frustra quoque tentarunt episcopi abbatum electioni præesse; Gregoriano quippe edicto (1), a multis deinde Romanis pontificibus confirmato, cautum est *ne ullus episcopus aut quilibet, cujuscumque dignitatis aut præminentiæ exsistat, regularem electionem abbatum ipsius ordinis impediat aut in ea quomodolibet se ingerat.* Hoc enim et sanctissimis illis monachis et Romanis pontificibus persuasum erat Chartam caritatis, quæ novi ordinis fundamentum et compago esset, inutile vacuumque fore documentum atque universam congregationem dissolutum iri, si quæ pars concederetur episcopis in monasteriorum administratione.

4 Verumtamen exemptiones omnes non probabat S. Bernardus, longe splendidissimum congregationis Cisterciensis lumen, nec nisi ægerrime videbat monasteria, quæ ab origine episcopis subdita essent, solvi ab eorum jurisdictione, quia justitiæ ordinique hierarchico contrarium id ei videretur et plerumque nonnisi ex superbia abbatum aliorumve avaritia proficisci. Quapropter sub annum 1126 in libro de Officio episcoporum (2) acriter carpsit abbates, qui præpostere ecclesiarum suarum libertatem ambirent, et sub annum 1146 in libris de Consideratione non pepercit dilectissimo suo discipulo B. Eugenio papæ III (3). Et reapse abusus invalescebat non minimus. Sed multum aberat ut sanctissimus vir culparet exemptiones omnes; laudabat libertatem monasteriorum, quæ ab ipsa sua fundatione ecclesiæ Romanæ data fuissent; laudabat etiam exemptiones monasteriorum quæ prius episcopis subdita fuerant, si necessitas aut vera quædam utilitas eas concedi suaderet. Audi enim ut sermonem illum ad B. Eugenium concludat : *Quid,* inquis : *prohibes dispensare? Non, sed dissipare. Non sum tam rudis ut ignorem vos dispensatores, sed in ædificationem, non in destructionem. Denique quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur. Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est : ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est. Utilitas, dico, communis,*

(1) Ibid. num. cit.

(2) Cap. IX, Opp. tom. I, col. 481 et 482, edit. 1719.

(3) Lib. III, cap. IV, Opp. tom. I, pag. 437 et seqq.

non propria. Nam cum nil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est. Nonnulla tamen monasteria, sita in diversis episcopatibus, quod specialius pertinuerint ab ipsa sui fundatione ad sedem apostolicam pro voluntate fundatorum quis nesciat? Sed aliud est quod largitur devotio, aliud quod molitur ambitio, impatiens subjectionis.

5 Quum itaque probaret sanctissimus abbas privilegia quæ propter utilitatem et non ex cupiditate concederentur atque ordinem suum, ex tot constantem monasteriis, sub uno præside et capitulo generali constitutis, stare non posse cerneret nisi ab episcoporum sententiis liberi essent abbates; postquam ecclesiæ Romanæ, adeoque universæ hoc supremum præstiterat beneficium, ut eam a schismate Petri Leonis liberasset, et Innocentium II genuinum esse papam omnibus suasisset; aliam mercedem admittere noluit nisi ut ordinis sui abbates ab auctoritate episcoporum immunes fierent. Quæ ex ipsiusmet Innocentii II diplomate, anno 1142 dato, intelligimus (1). *Innocentius, episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Bernardo, Clarævallensi abbati ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum .... Ceterum quam firma perseverantique constantia, causam beati Petri et sanctæ matris tuæ Romanæ ecclesiæ, dilecte fili in Domino Bernarde abbas, incandescente Petri Leonis schismate fervor tuæ religionis et discretionis susceperit defensandam, et se murum inexpugnabilem pro domo Dei opponens, animos regum ac principum, et aliarum tam ecclesiasticarum quam secularium personarum ad catholicæ ecclesiæ unitatem et beati Petri ac nostram obedientiam frequentibus argumentis et ratione munitis inducere laboraverit; magna, quæ ecclesiæ Dei et nobis provenit, utilitas manifestat. Quamobrem tuis justis desideriis accommodantes assensum, beatæ Mariæ Dei genitricis monasterium, cui Deo auctore præsides, cum omnibus ad ipsum pertinentibus, apostolicæ sedis patrocinio communivimus : statuentes ut, quascumque possessiones aut bona, quæ ad eumdem locum in præsentiarum juste et canonice pertinere noscuntur, aut in futurum concessione pontificum, liberalitate regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, auxiliante*

(1) Ibid. col. 321 et 322.

Domino, ei conferri contigerit, firma tibi tuisque successoribus, et illibata permaneant. Prohibemus ne aliquis archiepiscopus aut episcopus te, vel successores tuos, seu aliquem abbatem Cisterciensis ordinis, nisi pro fide ad concilium vel synodum venire compellat. Quia vero Cisterciense monasterium hujus religionis origo est atque principium, nostra concessione hac prærogativa non immerito gaudeat : ut siquando fuerit pastore proprio viduatum, quemlibet abbatem de omnibus abbatibus vestri ordinis, vel monachum sibi libere præficiendum eligat, et absque aliqua contradictione obtineat ; ceteris vero vestri ordinis abbatiis, quæ unam vel plures abbatias habent sibi subditas et de sui corporis fructifera copia derivatas, abbate suo rebus humanis exempto, eligendi quemcumque maluerint de sibi subjectis abbatibus, vel quemlibet monachum de omnibus præfatæ religionis congregationibus, libere sibi in abbatem eligat et habeat. Porro conversos vestros, qui monachi non sunt, post factam in vestris cœnobiis professionem, nullus archiepiscoporum, episcoporum vel abbatum, sine vestra grata licentia suscipere, aut susceptum retinere præsumat. Statuimus ut de laboribus, quos vos et totius vestræ congregationis fratres propriis manibus et sumptibus colitis, et de animalibus vestris, a vobis decimas expetere vel recipere nemo præsumat. Nulli ergo, etc. Conservantibus vero eidem loco quæ sua sunt, sit pax Domini nostri Jesu Christi : quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Innocentius, catholicæ ecclesiæ episcopus.

Ego Matthæus, Albanensis episcopus.

Ego Romanus, diac card. S. Mariæ in Porticu.

Ego Johannes, tit. S. Grisogoni presbyter card.

Ego Gregorius, diac. card. SS. Sergii et Bacchi.

Datum Lugduni per manum Aimerici S.R.E. diac. card. et cancellarii, XIII kal. martii, indict. X. incarnationis dominicæ anno MCXXXI pontific. domini Innocentii papæ secundi anno tertio.

6 Verumtamen *nonnulli ecclesiarum prælati,* Cisterciensium *libertatibus invidentes, cum eis non liceret ex apostolicæ sedis indulto in illos excommunicationis vel interdicti sententias promulgare, in tenentes* (tenanciers) *seu firmarios* (fermiers), *ad*

annuum redditum terrarum illorum *extraneos et* illos *proprio nomine excolentes vel alias eis communicantes*, sententias proferebant *memoratas*. Quapropter Alexander papa II (1) concessit anno 1162 universo ordini Cisterciensium *quod firmarii, tenentes seu servientes eorum, in terris eorum situati, a jurisdictione cujuscumque judicis ordinarii ecclesiastici essent quieti*, eorumdem judicio reservato abbatibus Cistersiensibus.

Verumtamen tum nondum omnino ab omni episcoporum diœcesanorum auctoritate libera erant Cisterciensia monasteria ; ita ut adhuc ab eis benedici deberent abbates, ordinari monachi aliaque quæ episcopalis sunt ordinis accipere. Sed quum operam suam sæpius illegitime negarent episcopi, paulatim factum est ut Romani pontifices coacti fuerint nova illis privilegia concedere, quibus prorsus ab omni aliena jurisdictione immunes facti sunt. Sed hæc nolim latius declarare.

7 Quæ vero fuit conditio Cisterciensium, eadem fere fuit omnium aliarum congregationum monasticarum ; ita ut, quum mendicantium religiones ortæ sunt, de jure quasi communi esset ut ordines seu congregationes regulares, quibus non regula tantum, sed et gubernium commune esset, non episcoporum, sed solius Romani pontificis jurisdictioni subessent. Sic ordines Fratrum Minorum et Prædicatorum, ut a Romano pontifice confirmati sunt, ab eodem ab episcoporum jurisdictione exempti fuerunt et uni sedi apostolicæ subditi. Non aliter ordines servorum B. Mariæ, Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum et infinita multitudo aliorum.

8 Atque hoc valde notabile est, non a religiosis laxioris vitæ, sed a sanctissimis viris semper studiose quæsitum fuisse ut ordines sui sub unius Romani pontificis auctoritate militarent. Hoc studium primorum Cluniacensium abbatum, qui omnes fere cœlestium honoribus aucti sunt ; hoc studium primorum Cisterciensium abbatum, quorum minor non fuit sanctimonia et virtus ; hoc studium S. Francisci Assisiatis, S. Dominici, S. Philippi Benitii, S. Ignatii de Loyola et tot aliorum, qui sæculo XVI et deinceps nova instituta fundarunt : ut, si nomina sanctorum

(1) Manrique, Annal. Cist. ad an. 1162, cap. I, num. 11.

omnium qui necesse esse arbitrati sunt ut ab episcoporum jurisdictione ordines viriles sint liberi, referre velim, prope infinitus futurus sim. Neque aliter senserunt doctissimi sanctissimique pontifices : quorum licet alii educati fuissent in sæculo, alii in claustro ; alii severæ, alii benignioris essent indolis ; alii literas aut res politicas amarent tractare, alii pietatem colere et negotiis ecclesiasticis occupari, una tamen eorum fuit sententia et vox ordines regulares, qui unum superiorem generalem agnoscant, stare non posse, si commune gubernium interventu plurimorum episcoporum turbetur, adeoque uni sedi apostolicæ subjici debere : adeo ut exemptionum regularium hostes ne unum quidem Romanum pontificem indicare possint qui aliter senserit.

9 Neque inter sanctos abbates aliosque prælatos regulares quempiam reperire potuerunt, sibi consentientem. S. Bernardum quidem producunt ; sed verba decurtant et diploma ab Innocentio II pro universo ordine impetratum silentio premunt. Hinc confugiunt ad S. Franciscum, sed pejori fortuna. Utique scripsit sanctissimus vir in testamento suo (1) : *Præcipio firmiter per obedientiam fratribus universis, quod ubicumque sunt, non audeant petere aliquam litteram in curia Romana per se, nec per interpositam personam, nec pro ecclesia nec pro alio loco, neque sub specie prædicationis neque pro persecutione suorum corporum : sed ubicumque non fuerint recepti, fugiant in aliam terram ad faciendum pœnitentiam cum benedictione Dei*. Sed non alius est hujus præcepti sensus quam Chartæ caritatis Cisterciensium, in qua hæc occurrunt : *Nec aliqua ecclesia, vel persona ordinis nostri adversus communia ipsius ordinis instituta privilegium a quolibet postulare audeat vel obtentum quomodolibet retinere*. Non enim minimum incurrunt religiones periculum, si singulares homines aut singularia monasteria obtentu pietatis, sæcularitatis vel dignitatis privilegia sibi obtineant, non omnibus communia. Inde scilicet impeditur plerumque superiorum auctoritas, æqualitas fraterna destruitur, enervatur regularum vis, excitatur aliorum invidia, aliorum contemptus, verbo ipsa corporis compago, quæ in omnium rerum communicatione et societate consistit, solvitur. Quamobrem adversus hanc labem in omnibus

(1) Ap. Waddingum, Annal. Min. ad an. 1226, num. 36, tom. 2, pag. 144.

fere religiosis ordinibus nonnulla provide constituta sunt. Sic voluit Gregorius papa XIII (1) Everardi Mercuriani, præpositi generalis, supplicationibus inclinatus, in societate Jesu privilegia, quomodolibet concessa, sive directe sive per communicationem, usurpari *juxta societatis hujusmodi instituti rationem, constitutiones, mores, usus, consuetudines, normas, observationes et procedendi modum, in prædictis societatis domibus, collegiis, congregationibus, concionibus, lectionibus, disputationibus, cæremoniis et aliis cujusvis generis actionibus publicis et privatis* ; quibus cautum ne uspiam introducantur diversitates. Sed, ut integra persisteret superiorum auctoritas, declaravit idem pontifex *quod privilegia, immunitates, exemptiones, facultates, concessiones, indulta, indulgentiæ, remissiones, gratiæ et literæ hujusmodi, necnon et ipsi societati nominatim, vel ejus præposito, aut personis seu locis hactenus concessa seu in posterum concedenda, prædicto et pro tempore existenti præposito generali societatis hujusmodi concessa esse intelligantur : qui illa per seipsum, vel alium seu alios, ab eo vel ejus commissione electos seu eligendos, quibuscumque locis et personis dictæ societatis, sub ejus societatis obedientia, emissis tribus votis etiam simplicibus, degentibus, prout magis expediens fuerit, communicare libere et licite valeat.* Hoc itaque jussit S. Franciscus ut nullus ex suis fratribus aut conventibus singularia haberet privilegia, sed nequaquam ut nullus, nec universus ordo literas ullas apostolicas ullave privilegia, quæ ad commune bonum conducerent aut certe adversa non essent, obtineret. Hujus enim generis literas impetravit ipsemet, impetrarunt post eum omnes ministri generales multique sanctissimi viri. Atque ex illa quidem beatissimi patriarchæ cura plane apparet quam exitiosum sit religiosis ordinibus singularitates aliasque diversitates admittere : a quibus vix aut ne vix quidem caveri potest, si, quot sint episcopi, tot viri extranei nullumque singulorum institutorum usum aut experientiam habentes, domorum quæ in uniuscujusque diœcesi sitæ sunt gubernium participant.

10 Neque difficile foret ingentem producere episcoporum turmam, quibus omni tempore persuasum fuit necesse esse ut con-

(1) Bulla *Decet Romanum,* Institutum Soc. Iesu, edit. Prag. tom. 1, pag. 50.

gregationes viriles a suo jurisdictione exemptæ sint. Re quidem vera fuerunt etiam nonnulli quibus hoc privilegiorum genus, nedum placeret, tollendum videretur. Sed neutiquam umquam magnus fuit istorum numerus, neque eorum auctoritas, nisi paucissimos excipias, a virtutum præstantia, scientiæ laude aut laborum magnitudine commendata. Hoc, autem maxime pupugit aliquos quod Romani pontifices facultatem fecerunt regularibus administrandi sacramenta aliquot et prædicandi verbum Dei absque episcoporum diœcesanorum interventu. Sed hæc privilegiorum forma ita imminuta est, ut nihil fere amplius supersit nisi quod obstet quin episcopi regulares a sacro ministerio prorsus arceant.

CAPUT DUODECIMUM.

De querelis adversus regularium exemptionem et privilegia.

1. Cur omni tempore religiosi cunctæque eorum res odio multis fuerunt.
2. Querelæ Parisienses, suscitatæ a Gulielmo a S. Amore circa annnm 1256.
3. Querelæ Parisienses anni 1281 et 1321.
4. Querelæ, ante concilium Viennense anni 1309 subortæ. Monitum Zallingeri in I Clementinam (lib. 5, tit. 7).
5. Querelæ Avenionenses anni 1351.
6. Querelæ archiepiscopi Armacani anno 1357.
7. Querelæ universitatis Parisiensis anni 1409 de Bulla Alexandri V.
8. Quæ in concilio Constantiensi anno 1417 gesta sint.
9. Querelæ Parisienses anno 1456 de Bulla Nicolai V.
10. Quæ acta sint in concilio Lateranensi anno 1515 sub Leone X.
11. Invitatur lector ad judicandum an quidpiam hæ querelæ contra privilegia probent.

Juverit tamen brevem historiam exhibuisse præcipuarum controversiarum de regularium privilegiis. De his vero ut rectum judicium feratur, imprimis animadvertendum est Christum non venisse in hunc mundum qui pacem mitteret, sed gladium; unde bellum atrox semper exstitit semperque exsistet mundum inter et christiana instituta; adeo ut, siquis res penitius inspicere velit, facile cernet inimicitias potius geri adversus statum religiosum quam adversus privilegia neque privilegia impeti nisi quod minori odio minorique impietatis specie impugnari posse videntur quam ipsa religiosorum conditio, ipsius Christi verbis aperte nixa. Qui enim clamitant contra aliorum privilegia atque hinc natam operositatem, iidem adoriuntur pium aliorum otium; et qui regulares exemptos quos proscindant non habent, iidem plerumque moniales et fratres, episcopis subditos, lingua verberant. Sed a sæculo IV æræ christianæ reperimus hujuscemodi oblocutiones. Jam suo tempore dicebat S. Antonius, ut refert S. Athanasius, neminem ita odio esse diabolo quam monachos et

probos christianos. Neque mirum proin est Arianos, Donatistas, Vigilantianos aliosque usque ad hæc tempora hæreticos et impios monachis infestos fuisse; cupidos avarosque quoscumque passim insidiatos esse eorum bonis, ambitiososque eorum libertati; præpotentes in eos, qui pro christiana fide viriliter stabant, flagris, carcere, cæde sæviisse, omnigenis probris et incusationibus Christi martyres onerantes; invidos oblocutos esse eorum sacro ministerio; et innumera id genus accidisse inter medias de monachis querelas.

Non igitur inquirendum est an querelæ exortæ fuerint adversus regularium privilegia, sed an justæ, an æquæ, an sinceræ. Deinde statuendum est summum pontificem principalem ordinarium omnium ecclesiarum esse, et nullius jura lædi quum ipse hac sua utitur potestate; præterea eum esse judicem controversiarum, quæ ex observatione seu transgressione suorum mandatorum ortæ fuerint; et demum favendum non esse rebellibus, sed fidelibus Romanæ ecclesiæ filiis.

2 Quibus positis, veniamus jam ad præcipua harum querelarum capita et fortunam: quæ tamen ita contrahenda videntur, ut eas tantum tangamus res de quibus sermonem instituit Thomassinus, præcipuus privilegiorum regularium hostis et Espenii, Febronii, Scipionis Riccii aliorumque dux. Atque ut etiam in his modus adhibeatur, non directe confutabimus illius errores; sed, rebus secundum veritatem historicam expositis, lectorem remittemus ad ea opera, in quibus hæc multo fusius expenduntur.

Porro meminit imprimis Thomassinus (1) controversiarum Parisiensium. Earum causam aperit Thomas Cantipratensis (2) his verbis: *Summa autem in supradictis magistris et aliis sæcularibus clericis invidiæ causa fuit, quod Fratres Parisiis plures et prope omnes litteratiores in scholis auditores habebant et in regimine præeminebant.* Jam pridem hic fomes discordiæ in animis latebat, quum Gulielmus a S. Amore et nonnulli ejus asseclæ opportunam se nactos esse arbitrati sunt occasionem ex-

(1) De vet. et nov. discipl. eccles. part. 1 lib.3, cap. 38, num. 1, tom. 1, pag. 758.

(2) Mirac. et exempl. sui temporis, lib. 2, cap. 10, num. 31, pag. 180 et seq. edit. Colvenerii.

pellendi ex universitate Parisiensi S. Thomam, S. Bonaventuram aliosque religiosos doctores : sed res pro machinatorum votis non successit (1); quocirca Gulielmus a S. Amore manum calamo applicuit, et contendit (2) mendicantes non tantum a scholis verum etiam a sacro ministerio arcendos esse: a summo pontifice alios quidem mitti posse ad prædicandum, sed nequaquam regulares, salva hierarchia; ab his nil agi posse, etiam jussu pontificis, absque licentia presbyterorum parochialium; Fratribus ab episcopo vel papa canonice destinatis confessos non satisfacere præcepto de confessione annua; Fratres de Evangelio non posse vivere. quod in clericorum sæcularium detrimentum cederet, etc. Quum hæc in libro *De periculis novissimorum temporum* lucem aspexissent, ingens hinc turbatio orta est : ast *certissime constat,* ut loquitur Touron (3), qui hæc fuse post Dupin, Fleury, Du Boulay, Echard aliosque examinavit, *episcopos Gallicanos ante omnes, adversum id opus commotos fuisse; non videri ullum fuisse, qui ante vel post Alexandri IV damnationem illi faverit; et in Gallia non secus ac in aliis regionibus catholicis ecclesiæ præsules perrexisse eadem benevolentia et fiducia prosequi eos, quos ut falsos prophetas traducebant doctores et aliquot clerici Parisienses.* Ad pontificem, Anagniæ residentem, liber delatus est circa annum 1256. Regularium causam dixere S. Thomas, S. Bonaventura et B. Albertus Magnus; unde Alexander IV proscripsit Gulielmi librum eumque ignibus cremari jussit : cui sententiæ subscripsere ipsimet Parisiensis academiæ legati (4). Scripsit dein pontifex ad episcopos Turonensem, Rothomagensem et Parisiensem, eis mandans ut omnes magistri et alii, qui asseruissent *quod FF. Prædicatores et Minores de licentia vel commissione Romani pontificis seu diœcesanorum episcoporum prædicationis exercere officium et confessiones audire libere non valebant,* TAMQUAM PER HOC SACERDOTIBUS

(1) Cfr. Touron, Vie de S. Thomas d'Aquin, chap. 5 et seqq. pag. 130 et seqq. Fleury, Hist. ecclés. liv. 83, num. 54, tom. 17, pag. 494 et seqq. Raynaldus, Continuatio Annal. Baronii, ad annum. 1255, num. 38, tom. 2, pag. 531, edit. Mansi.

(2) Natal. Alexander, Hist. eccles. sæc. XIII et XIV, art. 7, tom. 8, pag. 72, edit. Mansi. Et SS. Thomas et Bonaventura, passim.

(3) Vie de S. Thomas d'Aquin. chap. 8, pag. 147.

(4) Ibid. chap. 8 et 9.

PAROCHIALIBUS PRÆJUDICIUM INFERRETUR, infra certam diem errores illos publice revocarent, asseverando constanter contrarium et illud etiam fideliter prædicando (1). Præcipui Gulielmi a S. Amore asseclæ id strenue fuerunt exsecuti; alii vero perrexere scommatibus S. Thomam et S. Bonaventuram sociosque eorum proscindere; missusque fuit bedellus quidam, qui, *prædicante Fratre Thoma de Aquino ordinis Prædicatorum*, libellum famosum adversus mendicantes et episcopum Parisiensem in conspectu populi et cleri adstantis perlegeret; quin opus suum incudi denuo imposuit Guilielmus, idque aliquantum mutatum obtulit Clementi IV, qui ei respondendum curavit : *Te multæ litteræ faciunt insanire* (2). Haud secus SS. Thomæ et Bonaventuræ infensi Pistorienses cum edixissent *SS. Thomam et Bonaventuram, sic in tuendis adversus summos homines mendicantium institutis versatos esse, ut in eorum defensionem minor æstus, accuratio major desideranda fuisset*, a Pio VI damnati fuerunt (3), propterea quod eorum sententia erat *scandalosa, in sanctissimos doctores injuriosa, impiis damnatorum auctorum contumeliis favens.*

3. Pro more tamen malum semen non in sterilem agrum cecidit. Licet enim passim episcopi multi cum animi jucunditate exciperent Fratres (4), innumerabiles eis exstruerent vel exstruere permitterent conventus, synodos celebrarent in quibus præcipiebant ut integra observarentur concessa a sancta sede privilegia, et si sedes apostolica eis amplius indulgeret vel indixerit indulgendum, hoc ab omnibus observaretur (5) : fuere tamen alii, qui diversis principiis imbuti, aliter omnino agerent; quin etiam, quum bona forsan eorum esset causa, nimia acrimonia eam pessumdarent. Hoc modo quatuor archiepiscopi et viginti episcopi, die 6 decembris anni 1281 Parisiis congregati, ad se convocarunt præcipuos ex singulis ordinibus religiosos, doctores universitatis omnes et innumeram scholarium multitudinem. Ad hanc concionem archiepiscopus Bituricensis, Simon de Belloloco, verba episcopo parum digna habuit, non ridiculum tantum nomen Fratribus Prædicatoribus imponens, sed non dubitans universitatem, maxime juvenes clericos, in subsidium episcoporum

(1) Natal. Alexander, Histor. Eccles. tom. cit. pag. 73.
(2) Ibid. pag. 73, et seq.
(3) Bulla *Auctorem fidei*, prop. 81.
(4) Zaccaria, Antifebronius. cap. 7 § 7, tom. 4, pag. 237.
(5) Cfr. Synodus Oxoniensis, ap. Natal. Alexandrum, tom. cit. pag. 183.

contra privilegia mendicantium vocare : se, quotquot adessent episcopi, aliquando Parisienses scholares fuisse; auditores loca sua aliquando occupaturos; et proin non minus eorum quam suum negotium agi (1). Sermonem dein exorsus est episcopus Ambianensis, sed nihil reposuere regulares. At postridie Frater Minor et die sequenti Dominicanus pro concione populo paucis proposuit privilegiorum historiam; quod modo prorsus contrario fecere paucis diebus post doctor Parisiensis et Ambianensis episcopus. Dubitabatur scilicet ac ultro citroque disputabatur an ex Martini IV privilegio (2) et vi constitutionis *Omnis utriusque sexus* confessi Fratribus Minoribus et Prædicatoribus tenerentur eadem peccata parochialibus presbyteris confiteri. Partem affirmantem Henricus de Gandavo, doctor Parisiensis, aliique propugnabant; negantem regulares, præter doctissimum Augustinianensem Ægidium Romanum. Sed *tandem*, ut narrat Eberardus Ratisponensis archidiaconus, in Annalibus ad anuum 1287, super *eadem quæstione omnes archiepiscopi, episcopi et totus clerus regni Franciæ solemnes nuntios cum aliis viris sapientibus ad sedem apostolicam transmiserunt, et quilibet eorum centesimam partem omnium redituum et proventuum ecclesiasticorum contribuit eisdem nuntiis pro expensis. Sed dominus Nicolaus, quamvis assumptus esset de ordine Minorum Fratrum, eamdem quæstionem pro neutra parte voluit terminare.* Interea resederunt animi; et archiepiscopus Bituricensis, anno 1286 cum suis suffraganeis concilium celebrans, sub pœna excommunicationis universis ecclesiarum capellanis curatis præcepit, ut apud se haberent, diligenter intelligerent, et populo exponerent canonem *Omnis utriusque sexus*, constitutionem Clementis III ad Fratres Prædicatores *Quidam temere sentientes*, et diploma Martini IV ad Fratres Minores, *Ad fructus uberes;* tum constitutiones illas recensens, plane significat licere religiosis illorum ordinum sacerdotibus, quin obstet canon *Omnis utriusque sexus*, audire fidelium confessiones, si a Romano pontifice et episcopis ad id fuerint destinati, sacerdotum parochialium assensu nullatenus requi-

(1) Fleury, Hist. ecclés. liv. 87, num. 59, tom. 18 pag. 319.

(2) Labbe, Collect. concil. tom. 11, part. 1, col. 1144 et part. 2, col. 1154.

sito. De his fusius vide Fleurisium (1), Natalem Alexandrum (2) et Labbeum (3).

Omnium tamen istarum controversiarum fomes Parisiis extinctus non fuit. Unde, ineunte sæculo XIV, alter Parisiensis pugil in arenam descendit. Magister nempe Joannes de Poliaco, doctor theologus, Joanne XXII papa, periculosos errores de sacramento pœnitentiæ in scholis et prædicationibus vulgavit, contendens pontifici non fuisse potestatem concedendi privilegia, quibus fruebantur mendicantes. Hanc doctrinam Avenione in consistorio revocavit ipse Joannes de Poliaco; dein vero publice Parisiis post inflictas a Joanne papa XXII censuras; ut colligitur ex Extravaganti *Vas electionis* (4), edita VIII kal. Augusti anni 1321; quam idem pontifex ab omnibus episcopis in civitatibus et diœcesibus suis, convocato clero et populo, promulgari jussit. Hactenus de controversiis Parisiensibus.

4. Postquam has tetigisset Thomassinus, pergit dein (5) ad concilium generale Viennense, disseritque quasi serio ibi actum fuisset de revocandis omnibus regularium privilegiis. Sed ipsum testimonium Thomæ Walsinghami, teterrimi mendicantium hostis, quod refert, debuisset eum id dedocere : ANTE *illud Concilium*, sic loquitur exaggerator ille, *per totum orbem generaliter fuit divulgatum, quod omnes et singuli religiosi exempti ad jus transirent commune. Unde solus ordo Cisterciensis papam adiit* ANTE DICTI CONCILII CELEBRATIONEM *pro exemptione sua pristina pacifice obtinenda.* QUOD ET OBTINUIT *donis datis.* Re quidem vera Gulielmus Durandus, episcopus Mimatensis, conscripsit ante concilium *Tractatum de modo celebrandi concilii generalis*, in quo multa mira proposuit, adeoque quædam (6) quæ absque scandalo memorari non possent, et abolitionem privilegiorum regularium (7). Quum id intellexerunt regulares, Jacobus, abbas Cisterciensium,

(1) Hist. eccl. liv. 87, num. 59, tom. 18, pag. 318 et seqq.

(2) Hist. eccl. sæc. XIII et XIV, diss. 4, tom. 8, pag. 279.

(3) Collect. concil. tom. 11, part. 1, col. 1144, et part. 2, col. 1254 et seqq.

(4) Extravag. comm. tit. *de hæreticis*. (lib. 5, tit. 3.)

(5) Vet. et nov. eccles. discipl. part. 1, tom. 1, pag. 764.

(6) Part. 1, Rubrica 46, fol. 36 edit. 1534.

(7) Part. 1, Rubr. 4 *de exemption.* fol. 8 et seqq. ibid. *de monachis*, fol. v° 10 et part. 2, Rubr. 23, fol. v° 56 et seq.

non donis adiit pontificem et concilium, sed accurato commentario, quem dignum censuit Raynaldus ut suis Annalibus (1) maximam partem insereretur, quemque *insignem* appellavit. Mendicantes non minus eximiam condiderunt scriptionem, quam in lucem similiter emisit Baronii continuator (2); utroque scripto alibi utemur. Unde in ipso Viennensi concilio ne quidem actum ab ullo fuisse videtur, ut regularium privilegia revocarentur; sed abusus quosdam compescendos proposuit Clementi V insignis aliquis præsul (3), quos reapse pontifex exstirpari jussit. Hi autem comprehenduntnr capite I Clementinarum de privilegiis et privilegiatorum excessibus(4): quos regularium hostes numquam memorare negligunt. Sed vanum est hoc artificium, ut recte monet Zallinger (5): *Criminatores exemptionum*, inquiens, *vel potius adversarii sedis apostolicæ, a qua privilegia earumdem emanarunt, aliud non agunt, nisi ut excessus privilegiatorum et angustias potestatis episcopalis incredibiliter exaggerent; quasi nihil ab episcopis, eorumque vicariis et sæcularibus clericis contra religiosos, eorumque perpetuos labores, ac mirificos religionis atque ecclesiæ progressus, qui ipsorum debebantur sudori et sanguini, peccatum umquam fuisset. At hi, quæso, expendant can.* QUAM SIT NECESSARIUM. 5 *et can. seq.* XVIII, *q.* 2. *Expendant constitutionem S. Pii V* ETSI MENDICANTIUM *anni* 1567 *aliaque non pauca, in ipso jure contenta, justa religiosorum gravamina, quibus per leges sacras resisti debuit; et dicant*: PECCATUM *(cleri sæcularis)* NON COGNOVI NISI PER LEGEM (6). Hactenus Zallinger.

Locis vero ex jure citatis addere imprimis potuisset hic auctor ipsius concilii Viennensis, de quo agimus, decreta. Etenim, si in hoc generali concilio enarrati fuere *sex* casus, in quibus religiosi excommunicantur et absolutio reservatur papæ, et *septem* culpæ, a quibus sub certis pœnis præcipiuntur abstinere, ibidem etiam (præterquam quod Gregorius IX jam præceperat ut cessarent prælati ab inferendo regularibus *viginti septem* grava-

(1) Continuat. Annal. Baron. ad annum 1312, num. 24, tom. 23, pag. 563 et seqq. edit. Mansi.
(2) Ibid. pag. 567.
(3) Ibid. pag. 563.
(4) Clementin. *De privilegiis et excessibus privilegiatorum*, cap. 1, *Religiosi* (lib. 5, tit. 7.)
(5) Institut. juris eccles. lib. III, tit. 36, num. 429, tom. 3, pag. 346, edit. 1793.
(6) Rom. VII, 7.

mina (1)), Viennæ etiam, inquam, provisum est contra alia *triginta*, a quibus prælati abstinere jubentur et cessare facere suos subditos, quæque generatim magis odibilia sunt quam excessus privilegiatorum. Laudamus itaque sacrum concilium, quod in privilegiatis et prælatis legum violationes cohibuit; simulque laudamus, quod aures non præbuit Durando Mimatensi, tot mira proponenti.

5. Multo magis serium fuit bellum, quod anno 1351 Avenione adversus Fratres Mendicantes motum, memorat Thomassinus (2). Sub Clemente scilicet VI horrenda quædam lues ita pagos, oppida et civitates depopulata fuerat, ut ex decem hominibus vix unus evasisse referatur (3). Presbyteris parochialibus passim fuga sibi consulentibus (4), Fratres pro Christi fidelibus animas suas exposuerant (5). Hinc grati fideles spiritualia in tanta necessitate seminantibus reddiderant temporalia: unde Fratres Mendicantes sua repararant ac ornarant monasteria, et nova a pluribus civitatibus et oppidis invitati exstruxerant (6). Feriit hæc res parum æquos nonnullorum clericorum oculos. Quocirca postulatum fuit a Clemente VI, ut Mendicantium Ordines *abolerentur*, vel saltem ut deinceps non solum quarta pars funeralium sed integra massa curatis redderetur. En ut rem narrat in suo Chronico continuator Gulielmi Nangiacensis (7): *Anno Domini* 1351 *insurrexerunt domni cardinales et prælati alii multi cum magna multitudine curatorum contra religiosos mendicantes in curia Romana, volentes et petentes a domino papa Clemente VI* EORUM ANNULLATIONEM ET QUOD DEFICERENT IN SE: *Episcopi allegantes fortiter in consistorio, quod ipsi Mendicantes non erant ab ecclesia vocati et electi, et quod eis non incumbebat fidelibus prædicare, neque confessiones audire, sed neque sepulturas recipere alienas: unde requirebant dicti prælati cum curatis,* QUOD IPSI MENDICANTES CASSARENTUR *vel quod saltem cessarent a præmissis*,

(1) Clem. *De exces. prælator.* cap. 16. *Nimis iniqua*, et cap. 17. *Nimis prava*. (lib. 5, tit. 31).)

(2) Vet. et nov. eccles. discipl. part. 1, lib. 3, cap. 39, num. 2 tom. 1, pag. 764.

(3) Continuat. alt. Chronici Gulielmi de Nangis ad annum 1349 et seq. Spicilegium Dacherii, tom. 3, pag. 110, edit. 1723.

(4) Ibid. loc. cit.

(5) Ibid. pag: 112.

(6) Ibid. pag. 112,

(7) Ibid. loc. cit.

AUT AD MINUS QUOD NON SOLUM QUARTA PORTIO DE SEPULTURIS ALIENIS DARETUR, SED TOTUM EMOLUMENTUM IPSIS CURATIS EX INTEGRO REDDERETUR : *quia nimis erant ditati ipsi Mendicantes de talibus sepulturis, prout dicebant ipsi prælati et curati. Hæc et similia prælati et curati allegabant contra Mendicantes, et multo plura; magno de hoc sermone contra ipsos facto per domnum cardinalem et præfatis Mendicantibus ibidem præsentibus et nihil ad objecta respondentibus, sed potius cogitantibus illud quod scriptum est :* ESTOTE IN PACE, ET DOMINUS PUGNABIT PRO VOBIS : *quod statim ibidem factum est. Nam, finitis dictis allegationibus contra ipsos, domnus papa statim pro Mendicantibus verbum sumpsit, allegans pro parte Mendicantium, eleganter ostendens per multa jura et scripturas, dictos Mendicantes non esse sic spernendos, ut illi dixerant, nec cassandos; probans eos a Deo et ecclesia fore vocatos ad auxilium regiminis ecclesiæ, licet tardius quam de multis, etiam eos inter alios vocatos deberi merito computandos... Objecit etiam domnus Papa ipsis prælatis et curatis, de quo, si ipsi tacerent Mendicantes, de quo ipsi populo prædicarent?... Addidit autem domnus papa, quod idcirco multi prælati et curati odio habebant Mendicantes, et eis claudebant portas suas pro tanto ne viderent vitas eorum,...dicens iterum eis,* QUOD DOLERE NON DEBEBANT, SI MENDICANTES ALIQUA BONA TEMPORE MORTALITATIS, QUÆ NUPER FUERAT, RECEPERANT IN VISITATIONIBUS MENDICANTIUM (lege INFIRMORUM) ET CURA, QUAM DICTI MENDICANTES, FUGIENTIBUS CURATIS MULTIS, SOLEMNITER EXERCUERANT CIRCA DECEDENTES ; *et, si de dictis temporalibus aliqua ædificia construxerant, non erat dolendum; quum hoc totum esset, ut dicebat domnus papa, in suis ædificiis appositum ad decorem totius universalis sanctæ Dei ecclesiæ, non in voluptatibus et actibus impudicis... Tandem dixit eis domnus papa, quæ et qualia mala et quanta emergebant ecclesiæ, si ea, quæ ipsi prælati petebant contra Mendicantes, finaliter obtinerent. Dixit tamen eis, quod si aliqua haberent contra ipsos religiosos, ponerent in scriptis et alii e converso; et ipse domnus papa daret eis optimos auditores. Et sic vacui recesserunt dolentes et confusi, religiosis gaudentibus et laudantibus Deum verum. Quid autem factum fuerit post hæc ignoratur.* Hactenus monachus Benedictinus , Gulielmi de Nangis continuator

6. *Non diuturnus,* inquit Thomassinus (1), *fuit fructus hujus victoriæ ab exemptis reportatæ:* et pergit dein ad gesta archiepiscopi Armacani in Hibernia : de quo audiamus denuo continuatorem Gulielmi de Nangis, cujus fidem omnes deprædicant (2) : *Anno* 1357 *archiepiscopus Armacanus, primas Hiberniæ, transivit ad curiam Romanam, prædicaturus contra religiosos Mendicantes, faciens contra ipsos libellos et tractatus, allegans fortissime ipsos ab ecclesia non debere sustineri, et dicens inter cætera et asserens, quod Christus et apostoli licet essent viri pauperes, numquam tamen fuerunt mendicantes. Allegat autem multa jura et scripturas* UT AB ECCLESIA DELEANTUR, *vel saltem ut auxilio privilegiorum pro prædicationibus, confessionibus ac sepulturis, et exemptionibus priventur. E contra autem religiosi præfati non amplius quam sex articulos hæreticos sibi objiciunt et opponunt, sed qui prævalebunt, in fine liquidius apparebit.* Finem narrat Thomas Walsinghamus, odium suum in Mendicantes et curiam Romanam satis pandens per scommata, quæ cum aliis historicis monumentis pugnant, nobisque proin resecanda videntur : *Tandem proh dolor,* inquit,... *Fratres sua privilegia, sicut ante, sub data nova obtinuerunt* (3).

7. Vertit se dein Thomassinus in bullam, quam (quod mireris) sibi ignotam fatetur, *in bullam* NESCIO QUAM *privilegiorum,* inquiens (4). Juverit de ea audire virum regularium hostibus non suspectum, continuatorem Historiæ ecclesiasticæ Fleurisii : *Alexander V,* inquit (5), *a concluso concilio Pisano semper morabatur Pisis ; et quum ex Ordine Fratrum Minorum esset, voluit Mendicantibus caritatis et prædilectionis suæ signa exhibere concedendo eis bullam, die* 12 *octobris datam et ad omnes ecclesiæ prælatos destinatam ; in qua, in memoriam revocans bullas Bonifatii VIII et Clementis V pro Prædicatoribus et Minoribus, declarat hos non secus ac Eremitas S. Augustini et Carmelitas, ad quas extensæ fuerant, in eorumdem privilegiorum possessione confirmari. Refert ibidem Joannes de Poliaco*

(1) Vet et nov. discipl. eccles. part. 1, lib. 3, cap. 39, num. 2, tom 1, pag. 764.

(2) Spicilegium Dacherii, tom. 3 pag. 116.

(3) Ap. Thomassinum, loc. cit.

(4) Ibid. num. 3, pag. 764.

(5) Hist. ecclés. liv. 101, num. 181, tom. 21, pag. 125 et seqq. edit. 1726.

articulos a Joanne XXII confixos ejusque retractationem. Demum confirmat decreta Bonifatii VIII et Joannis XXII de privilegiis Mendicantium damnatque propositiones adversas, non impeditus canone OMNIS UTRIUSQUE SEXUS, *aliisve quibuscumque statutis contrariis.*

Hæc bulla multum commovit universitatem Parisiensem, quæ legatos, qui quid rei esset indagarent, Pisas destinavit. Retulerunt hi a se visam esse bullam plumbo sigillatam, et per eam concedi Mendicantibus ut in parœciis omnia sacramenta ministrarent, et reciperent, quæ eis offerrentur, decimas. Hac novitate irritata universitas statuit e sinu suo expellendos esse omnes Mendicantes, eosque concionari non posse Parisiis, priusquam ad se detulissent originale bullæ exemplar, eamque ejurassent. Reliqua narrat ipse Thomassinus (1) ex monachi Sandionysiani historia, videlicet *paruisse Dominicanos et Carmelitas: monachum S. Martini de Campis publice prædicasse eam Bullam obtentam fuisse se nescientibus et imprudentibus, nec eam sibi probari; Carmelitas idem professos esse; et, quum cæteri Mendicantes obstinatius bullam retinerent, regis nomine et auctoritate, interpellatione autem universitatis, significatum illis esse, vetitos esse et parochos et presbyteros omnes, intentata temporalium rerum omnium jactura, ne quem eorum paterentur suis in ecclesiis prædicare vel confessiones excipere.* Pergit vero Continuator Feurisii (2) : *Demum Cancellarius Joannes Gersonius jussu universitatis concionatus est contra bullam papæ, et conclusit id rescriptum intolerabile esse, componi non posse cum ecclesiæ commodis, et ut tale annihilandum esse, quum hinc turbari possit ordo hierarchicus prælatorum sanctæ ecclesiæ, quorum juribus derogatur.* Quam concionem schismaticam, tunc a Gersonio (quem papa superiorem factum diceres) habitam, legere est inter ejus Opera ubi hunc titulum habet (3) : *Sermo factus ad populum Parisiensem ex parte universitatis super facto bullæ Mendicantium anno* 1409. Hunc sermonem sequitur (4) : *Joannis Gersonii doctoris et cancellarii Parisiensis censura et plurium*

(1) Op. et loc. cit.
(2) Hist. eccles., etc. pag. 127.
(3) Opera Jo. Gersonii, tom. 2. col. 431, edit. Dupinii.
(4) Ibid. col. 442 et seqq.

in theologia professorum circa bullam a Mendicantibus extortam a summo pontifice Alexandro V, datam anno 1409, IV *id. octobris.* Ex Sermone delibabo tantum sequentia : *Si dicat aliquis,* inquit Gersonius (1), *Papam eos mittere;* VIDENDUM EST AN SIT NECESSITAS : NON ENIM DANDUS EST CURATOR AUT COADJUTOR PRÆLATO AUT ALTERI, IPSO INVITO, SINE DEFECTU EJUS AUT IMPOTENTIA ; ALIOQUIN GRAVATUR : QUOD NON VULT AUT VELLE NON DEBET FACERE PAPA FRATRIBUS SUIS Hæc ille, qui ibidem docebat (2) *quod ad universitatem Parisiensem, filiam regis, spectat secundum doctrinam de sanctæ ecclesiæ judicare gubernamine.*

8 *In concilio Constantiensi* sic dein disserit Thomassinus (3), *revocata sunt aut irritata privilegia omnia quæ concessa fuissent a tempore obitus Gregorii XI, hoc est ab initio schismatis; indiscriminatim obducta sunt omnia, sive a veris, sive a veros se jactantibus pontificibus indulta forent. Excipiebantur tamen,* 1o *quæ in ipsa fundatione fuissent concessa...;* 2o *quæ data fuissent assensu eorum, quorum intererat.* Præter morem nullas malevolas animadversiones hic subjicit Thomassinus : et quidem quid subdidisset ? Nam vere in hoc concilio comprobata fuere vetera privilegia, sed illa sublata, quæ pontifices necessitate tantum temporum adacti censebantur concessisse, ut nempe quisque partes seu obedientiam suam adaugeret : ne enim in pejus res christiana rueret, per schisma eis non licebat postulata etiam minus æqua repellere. Quocirca regulares non minus quam sæculares opportunissimum habent Constantiense decretum.

9 Transit illinc Thomassinus (4) ad novas Parisienses controversias, quas verbo tantum tetigerat Raynaldus (5), et quidem non satis recte, ut ex continuatore (6) Fleurisii, eas multo fusius explicante, liquet. En hujus rei summa. Concesserat Nicolaus V Mendicantibus facultatem excipiendi confessiones tempore paschali. Rescivit id Parisiensis universitas, et continuo coram se citavit regulares, eis jubens ut ejurarent Nicolai V

(1) Ibid. col. 440.
(2) Ibid. col. 434.
(3) Vet. et nov. eccles. disciplina part. 1, lib. 3, cap. 39, num. 4, tom. 1, pag. 764 et seq.
(4) Ibid. pag. 765.
(5) Annales eccles. ad annum 1471, num. 69, tom. 29, pag. 519, edit. Mansi.
(6) Hist. ecclés. liv. 111, num. 14 et seqq. tom. 23, pag. 9 et seqq. edit. 1726.

bullam eamque intra certum tempus revocandàm curarent. Restitere Mendicantes, perjuri declarati fuere et ex universitate ejecti. Re ad Callistum III delata, confirmavit pontifex prædecessoris bullam et Parisiensium acta irritavit. Ast hi magis magisque commoti obedire detrectarunt. Hinc compulsi fuere Mendicantes viam mediam inquirere : archiepiscopus nempe Remensis, Parisiensis episcopus et parlamentum regium intercessere et proposuere ut declararent Mendicantes se per hanc bullam nullum jns novum adipisci : sed id rejectum est ab universitate. Proposuere dein ut Mendicantes ad proximum concilium referrent hujus bullæ examen, et interea decreto Lateranensi et Gallicanorum sententiae adhærerent. Ast illud his non placuit. Hinc Callistus papa, ut pacem reduceret, redegit omnia privilegia ad sensum Clementinæ *Dudum*. Parisiis paruere huic præcepto regulares. Ast Romæ non item sentiebant plures ordinum generales præpositi : quo referenda videntur quæ tradit Raynaldus de formula provocationis ad concilium, condita ab ordinum magistris: *at ejusmodi factione*, inquit (1), *Franciscus* Roverius, Minorum minister generalis, dein Sixtus papa IV, *sese non implicuit, atque apud Paulum est professus, se ab eo facinore abstinuisse.*

10 Omnium terribilissimæ machinæ, quæ umquam adversus Mendicantium privilegia mota fuit, meminit dein Thomassinus (2). Ast Ægidius Viterbiensis, generalis præpositus Eremitarum S. Augustini et S. R. E. cardinalis optime nos docebit quid in Lateranensi concilio acciderit, quum ipse cum generali Prædicatorum magistro omne fere hujus negotii pondus sustinuerit. *Hactenus*, inquit in literis ad universum suum ordinem (3), *quadriennio laboravimus. Exstincto enim Julio II pontifice maximo, ac creato Leone X, omnium mortalium mitissimo, clementissimo, humanissimo, reverendissimo, reverendos dominos prælatos spes incessit invadendarum religionum et abrogandorum privilegiorum ; quod diu totis animis exoptaverunt, et ad id, a quo Julii durities absterruit, Leonis tum mansuetudo, tum lenitas invitavit. Data ab*

(1) Annal. eccles. ad annum 1471, nnm. 69, tom. 29, pag. 519.
(2) Op. cit. pag. 765.
(3) Ægidii Viterb. epist. 24, ap. Martene, Vet. Scriptt. Collect. ampliss. tom. 3, col. 1264.

ordinibus est provincia reverendissimo domino generali Prædicatorum, viro singularis et eruditionis et auctoritatis, et secum mihi; qui hoc quadriennio cum protectoribus, cum cardinalibus, cum episcopis, cum oratoribus regum et principum, cum ipso denique pontifice, ac in primis cum tribus sedis apostolicæ commissariis die noctuque institimus, defendimus rem nostram, et quantum fieri licuit, tutati sumus. Volebat concilium delere omnia, quæ nos a pontificibus, circumventis dolo, fraude, importunitate, vi extorsisse jactabant. Episcopalem dignitatem non læsam modo, verum etiam inhonestatam, afflictam et prope eversam esse dicebant. Itaque, ut in capitulo Ariminensi ostendimus, ne omnia persequerentur (ut dictitabant), octuaginta articulos formaverunt, quos de nostris privilegiis abradi contendebant: ut de quarta rerum omnium solvenda, de confessionibus, de sepulturis, de prædicatione, de justitia administranda: ut, nisi per mensem faceremus, in jus episcoporum transiremus, atque alia ejus generis. Scripsimus hoc discrimen ad universum ordinem, ut in omnium periculo omnium suffragio atque orationibus juvaremur. Petebant illi hæc octuaginta capita; omnes nos, sibi consulentes, relinquebant. Pontifex nos in aliquibus cedere imperabat; concilio claudendo non assensuros referens, nisi aliqua quæ vellent de nostris privilegiis abrogarent. Nos, ubi omnia servari posse non datum est, ea servare annixi sumus, quæ tamquam præcipua et ordinis essentialia esse videbantur. Multum generalis Prædicatorum reverendissimus profuit, multa doctissime, copiosissime, constantissime adduxit. Ego religionem obsessæ civitati comparavi, cui duo essent maxime necessaria, intus annona ad victum, foris murorum propugnacula ad tutelam: utrumque civitati necessarium, alterum ut a fame, alterum ut ab hostibus tueatur, utroque vix tuto agi; unum si desit, esse intereundum... intus eleemosynas nos alere; foris nos jurisdictione defendi: periturum alterum, si quarta solveretur; alterum casurum, si prælatorum judicio nostra cognoscerentur. Proinde nos omne tormenti genus subituros potius, quam in his duobus lædi pateremur. Monet dein pientissimus et doctissimus vir fratres suos hæc et plura alia intacta relicta fuisse; commendat eis quam maxime religiosam disciplinam; aitque: *Nunc agite gratias Deo serva-*

tori; et orate pro sanctissimo domino nostro, qui nihil nostra causa non fecit; et reverendos prælatos summa reverentia prosequamini.

Et quidem recte de Leone X dixit : *Nihil nostra causa non fecit.* Etenim ut leo pugnavit pro religiosis ; schismaticas fere vias, quas tentarunt nonnulli episcopi, summa prudentia occlusit; et ita rem finiendam curavit ut præcipua privilegia, regularibus vere utilia, integra permanerent et denuo confirmarentur ab ipso concilio (1).

11 Ex hac historica narratione præcipuarum controversiarum de privilegiis, quæ post conditos ordines Mendicantium agitatæ fuerunt, judicet lector, an acerbæ et multæ querelæ, ut aliqui tradunt, exortæ fuerint præsertim adversus illa privilegia, quibus facultas dabatur regularibus excipiendi confessiones sæcularium injussu Episcoporum et parochorum ; an contra quod tota massa funeralium non deferretur ad parochos ; quod episcopis non daretur quarta pars eleemosynarum, quas acciperent Mendicantes ; quod tempore paschali liceret apud règulares confiteri; quod theologiam reliquasque disciplinas Mendicantes traderent ; videatur dein quam justæ, quam æquæ forent hæ querelæ in quibus nulla ratio habebatur decretorum summorum Pontificum ; perspiciatur etiam quam recte dicatur universum hoc de privilegiis negotium ante concilium Tridentinum componi et absolvi non potuisse; quasi, quum Roma rescripta venissent, quum ipsa concilia generalia tulissent decreta, causa non finita dicenda foret. Si objiciatur etiam post has constitutiones ortas fuisse adversum privilegia regularium querelas ; eædem ortæ sunt post concilium Tridentinum. Neque spes regularibus est ullum umquam fore tempus, quamdiu exsistent, quin jam hic jam illic adversus eos querelæ orituræ sint. Demus eos privari omnibus privilegiis, interdici sacro ministerio, subjici episcoporum jurisdictioni hosque prælatos illorum regulares fieri : vix dubitamus, quin futurum sit ut tunc etiam exoriantur querelæ, quoniam, ut cum S.

(1) Cfr. Raynaldus, Annal. eccles. ad annum 1515, num. 1 et seqq. tom. 31, pag. 96 et seqq. ad annum 1516, num. 1, et seqq. pag. 121 et seqq. num. 28 et seqq. pag. 130 et seqq.

Augustino (1) loquamur, in cœlis tantum *ubi nulla est invidentia, concors est differentia.*

(1) De Sancta Virginit. num. 29, tom. 6 Opp. col. 355.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

De querelis adversus regularium privilegia in concilio Tridentino.

1. Aliqui tradiderunt in concilio Tridentino agitatam fuisse revocationem omnium privilegiorum regularium.
2. Adstruitur id Tridenti non fuisse cogitatum.
3. Confutatur primum argumentum Espenii et Febronii.
4. Confutatur secundum argumentum Espenii et Febronii.
5. Confutatur tertium argumentum Espenii et Febronii.
6. Confutatur quartum argumentum Febronii
7. Confutatur ultimum argumentum Espenii, et exponitur historia turbarum, quas in concilio Tridentino suscitavit Braccius Martellus.
8. Aggreditur Martellus missionem pontificiam regularium; refellitur a Caselio; castigatur a concilii præside.
9. Iterum turbat concilium et placide redarguitur a cardinali Polo: accusatur a legatis apud summum pontificem; increpatur a concilii præside; a pluribus patribus objurgatus, solvitur in lacrymas; favent patres parochis et regularibus.
10. Episcopus quidam censet occasione utendum esse ad ampliandam episcoporum potestatem; Pachecus et maxime Seripandus temperatissimum sermonem habent; licet Paulus III patribus fecisset potestatem maximam, hi tamen ferunt decretum regularibus favens.

Veniendum jam est ad eam quorumdam persuasionem in synodo Tridentina cogitatum fuisse de revocandis omnibus regularium privilegiis; sed propter labores, quos regulares in ecclesia impendissent, patres noluisse gratias et privilegia prorsus omnia revocare. Quid ad hæc regeremus? Hæc absque ullo dubio perhiberi quin concilii Tridentini historiographos quis consuluerit et concilium Lateranense cum concilio Tridentino confundi. Sane eo usque non processit Febronius, Myriophytanus

episcopus, qui scripsit tantum (1) *ex actis et Historia concilii*, (id est ex Petro Suavio), *constare* PLURES *ex patribus institisse, ut authoritate concilii hæc privilegia omnimode revocarentur, regularibus ad primævam suam institutionem reductis; vi cujus* NON NISI UT AUXILIARES ET SUBSIDIARII (2) *prælatorum ac pastorum ordinariorum in hierarchicis functionibus, atque ab horum beneplacito dependentes considerandi veniunt; ast restiterunt*, pergit, *non solum illorum ordinum generales eorumque patroni, sed vel maxime curiales Romani*. Non itaque secundum Febronium id *cogitarunt* generales ordinum præpositi; non id *cogitarunt* eorum patroni, maximo numero præsentes; non id demum *cogitarunt* curiales Romani, id est præsules ex animo Petri cathedræ adhærentes : *plures* tantum id *cogitarunt* secundum Febronium. Sed quæ sit rei veritas jam dispiciamus.

2. Imprimis nuspiam invenimus neque apud Pallavicinum, neque apud Raynaldum, neque apud Natalem Alexandrum, neque apud Psalmæum, ullum omnino in universo concilio Tridentino fuisse patrem, qui egerit aut vel minime verbum fecerit *de revocandis omnibus regularium privilegiis*. Sed in cœtu generali, die 23 novembris anni 1563 habito, ut tradunt Acta arcis Æliæ, a Pallavicino (3) citata, *de regularibus illustre præconium habuit* (cardinalis Carolus) *Lotharingus, testatus tria regularium millia in Gallia paucorum mensium spatio crudele martyrium passos fuisse, quod obedientiam Romano pontifici debitam abjurare noluissent. Quapropter uti ceterorum clericorum immunitatem ab episcopis plurimum improbabat, ita eamdem in regularibus admodum a se comprobari; et patres cohortabatur ut illorum privilegia illæsa præstarent*. Neque hæc ille dixit, quod de resecandis regularium privilegiis ageretur a patribus, sed occasione decretorum de reformatione regularium : solitus nempe pro auctoritate, quam in concilio habebat, nonnumquam cardinalibus legatis præcurrere et in antecessum suam de rebus non tractatis aut numquam tractandis sententiam

(1) De Statu Ecclesiæ, tom. 1, pag. 592.

(2) Hæc verba alio charactere jussit excudi Febronius.

(3) Hist. concil. Tridentini, lib. 24, cap. 3, num. 7, tom. 3, pag. 293, edit. Antverp. 1673. Cfr. Act. concil. Trid. per Card. Gabrielem Palaeottum ap. Raynaldum, Annal. eccles. ad annum 1563, num. 199, tom. 34, pag. 468.

dicere. Utut id est, nemo omnino ei contradixisse legitur in præsenti de privilegiis quæstione.

His accedit penes legatos omnino fuisse eosque pro viribus hanc sibi integram vindicasse potestatem, ut ipsi soli argumenta discutienda proponerent (1). Porro nuspiam legitur quidpiam hujuscemodi a concilii præsidibus fuisse propositum, vel ullum episcopum eos privatim adiisse (ut licebat), eosque adhortatum fuisse ad abolitionem privilegiorum concilio proponendam; quo casu præsulum voluntati satisfactum iri sæpius protestati sunt (2). Præterea fuere in concilio nonnulli episcopi, qui se his legibus non obstrictos crederent, et jam hæc jam illa opportune importune proponendo interturbarent discussionem decretorum, de quibus solis eis agendum fuisset. Verumtamen nulla reperitur mentio alicujus e concilio patris qui *omnia regularium privilegia revocanda* dixerit.

Demum in *Collectione actorum et decretorum sacri œcumenici concilii Tridentini in duas partes divisa, quarum prima continet* ACTA *et canones ab anno* 1551 *ad* 1552, *secunda medullam votorum et sententiarum patrum concilii super præcipuis materiis propositis in congregationibus ab adventu eminentissimi cardinalis Lotharingici cum episcopis Gallis, ab anno* 1562 *ad finem concilii, auctore Nicolao Psalmaeo canonico Præmonstratensi, abbate S. Pauli et Virdunensi episcopo,* EJUSDEMQUE CONCILII SECRETARIO ET CANONUM REDACTORE, reperitur integrum caput *de exemptione et correctione canonica* (3). Ast nullum hic omnino occurrit verbum de tollenda exemptione seu privilegiis *regularium*, verum de abolenda exemptione *canonicorum sæcularium* : quocirca proponuntur prius argumenta, quæ hanc abolitionem suadeant; dein tamen concludit Psalmaeus : *An vero sic expediat his temporibus ex abrupto et absolute eas tollere, adhuc sum anceps, quum sciam multa capitula exempta omni virtutum luce clarescere*. Nihil hic de regularibus.

(1) Ibid. lib. 7, cap. 4, num. 17 et seq. tom. 1, pag. 232 et seq. Raynaldus, Annal. eccles. ad annum 1546, num. 66 et seqq. tom. 33, pag. 152 et seq. et alibi sæpius.

(2) Febronius, Commentarius in suam retractationem, posit. 22. pag. 137.

(3) Ap. Hugonem, Accessiones nov. ad historiam ecclesiast. et civil. pag. 403 et seq.

3 Van Espen tamen et Febronius quintuplici argumento contendunt reipsa ab aliquot patribus serio actum fuisse de revocatione omnium privilegiorum seu exemptionis regularium. Quam in rem profert primo loco Espenius (1) verba nonnulla quorumdam prælatorum, qui circa annum 1537, jubente Paulo III Consilium de emendandis abusibus conscripserunt. Verum in his non agitur de exemptione regularium, sed *de sæcularium clericorum exemptione*, ut ex contextu satis liquet (2).

4 Urgent dein Van Espen (3) et Febronius (4) articulos pro reformatione *nomine episcoporum et principum* Germaniæ *concilio Tridentino* exhibitos, quorum quartus erat : *Revocandas omnes exemptiones contra jura communia passim concessas, monasteriaque omnia sub episcopi potestate constituenda sub cujus sunt diœcesi.* Re quidem vera reperitur iste articulus inter eos *qui ex parte* CÆSAREÆ MAJESTATIS *ab ejus oratoribus præsentati sunt* LEGATIS *concilii Tridentini* (5), sed en paucis horum articulorum historiam : die septima Junii anni 1562 *Cæsarini*, inq uit Pallavicinus (7), *detulerunt ad præsides volumen quoddam a Ferdinando ad se missum, ut synodo traderent... Liber ille complectebatur magna ex parte sensus injectos inexperto religionis studio quorumdam proborum* AB EORUM ARTE, QUI OMNEM IMPENDEBANT OPERAM AD ELEVANDAM SYNODI AC PRÆSIDUM DIGNITATEM, SPLENDOREMQUE PONTIFICATUS MINUENDUM. *Legati vehementer eo sunt commoti ; quumque Muglizio archiepiscopo Pragensi ostendissent, quanta tum concilii tum Cæsaris indignitate volumen illud conventui traderetur, eos cohortati sunt, ut tantisper suspenderent, dum ipsi per officia nuntii Ferdinandum ab eo consilio dimoverent. Quin præterea Muglizius ea opportunitate, qua brevi per dispositos equos iturus erat ad suam Pragensem ecclesiam, ut regem Bohemiæ coronaret, suscepit in se munus id Cæsari suadendi.* Porro *æqui bonique accepit Cæsar*, ut habet Raynaldus (1), *libelli sui articulos non fuisse propositos*, QUOD

(1) Jus eccles. univ. part. 3, tit. 12, cap. 6, num. 1, Opp. tom. 2, pag. 427.

(2) Cfr. Le Plat, Monument. ad hist. concil. Trident. spectant. tom. 2, pag. 601 et seq.

(3) Op. cit. num. 3, pag. cit.

(4) Flores sparsi, pag. 498.

(5) Le Plat, Monumenta, etc. tom. 5, pag. 266.

(6) Hist. concil. Trid. lib. 17, cap. 1, num. 6, tom. 3, pag. 2, edit. Antverp.

(7) Annal. ecclesiast, ad annum 1563, num. 42, tom. 34, pag. 366.

NON IPSE EOS TENERET, *sed a populis sibi subjectis fuerant expetiti.* Obtrusi hi scilicet fuerant imperatori a quibusdam pessimis Germaniæ prælatis, ut liquet ex responso quod ad eos dedit Pius IV, quum eos accepisset : *Utinam*, inquit inter alia (1), *per Germaniam ecclesiæ principes*, QUOS FACILE (*sua sanctitas*) INTELLIGIT HUJUS ESSE AUTHORES TRAGOEDIÆ, *sua vita plusquam sæculari non magis scandalizarent Christi ecclesiam!* Neque umquam dein in concilio propositi fuere malevoli isti articuli. Præterea paucis annis ante in Caroli V Formula reformationis ecclesiasticæ, statibus imperii in comitiis Augustensibus proposita et probata, integræ servantur regularium immunitates (2).

5 Espenius (3) et Febronius (4) tradunt ex Petro Suavio caput v sessionis XIV, de conservatorum jurisdictione certis finibus concludenda, patribus multum displicuisse propter clausulam quæ in hac parte integram servabat exemptionem universitatum, locorum regularium et hospitalium; rem nuntiatam per legatum pontifici, sed reponsum esse : *Re non ita pridem, Paulo III Pontifice, determinata, nimirum esse necessarium ad tuendam auctoritatem apostolicam, ut Fratrum conventus et academiæ omnino a pontifice pendeant, nihil opus erat deliberatione.* Ast præter id maledicentissimi Suavii assertum, quod, totum eo vergit ut persuadeatur liberum non fuisse concilium, sed decreta Romæ non Tridenti fuisse condita, nullum omnino superest de hac re testimonium. Pallavicinus (5) id, quantum honoris pontificum interest, confutat; Raynaldus (6) et Natalis Alexander (7), de hoc decreto agentes, nihil de patrum displicentia habent; inter Monumenta de concilio Tridentino, quæ collegerunt Puteani (8), Labbeus (9) et Le Plat (10), nullum inveni quod de eadem mentionem faciat; continuator Fleurisii (11) citat

(1) Ibid. num. 43, pag. 367.
(2) Le Plat, Monum. concil. Trid. tom. 4, pag. 79.
(3) Op. cit. num. 4, pag. cit.
(4) De Statu Ecclesiæ, cap. 7, § 8, pag. 602.
(5) Hist. concil. Trid. lib. 12, cap. 13, num. 8, tom, 2, pag. 127.
(6) Annal. eccles. ad annum 1551, num. 59, tom. 33, pag. 442.
(7) Hist. eccles. sæc xv, et xvi, dissert. 12, art. 9. tom. 10, pag. 536.
(8) Mémoires sur le concile de Trente.
(9) Collect. concilior. tom. 14.
(10) Monumenta ad hist. concil.Trid. spectantia.
(11) Hist. ecclés. lib. 147, num. 51, tom. 30, pag. 216, edit. 1731.

Pallavicinum, sed insigni mala fide, quum non Pallavicini narrationem sed hæretici Petri Suavii exhibeat ; et protestans Heideggerus (1) mere eumdem Suavium describit. Unde totius hujus narratus fides penes unum mendacissimum Petrum Suavium est.

6 Tradit quarto Febronius (2) *hanc rem* ALIQUOTIES *in concilio agitatam fuisse, præsertim* DIE 6 SEPTEMBRIS *anni* 1563 : de cujus priori assertionis parte satis superque dictum fuit ; quod vero attinet ad diem 6 septembris, ne tunc quidem ullum generalem cœtum habitum fuisse apparet (3).

7 Asserit quinto Espenius (4) *patere ex oratione Braccii Martelli, episcopi Fesulani, nonnullos patres sub initium synodi acriter insurrexisse in privilegia regularium, præsertim ordinum Mendicantium, ob eorum ad functiones etiam hierarchicas extensionem.*

Porro indulgeat mihi lector si de turbis, quas suscitavit hæc oratio dicendum mihi sit ; ex ea non solum liquebit nonnullos e Tridentinis patribus, qui se libera ingenia jactabant, non tantum libertate usos, sed et aliquando abusos fuisse ; verum etiam satis superque constabit numquam Tridenti actum fuisse de revocandis *omnibus* regularium privilegiis.

8. Die 15 Aprilis anni 1546 habebatur congregatio generalis, in qua, ut refert Angelus Massarellus, a Raynaldo (5) citatus, adductum fuit in examen *decretum de lectoribus et lectionibus Sacræ Scripturæ instituendis et concionatoribus ordinandis.* Qua occasione usus, Braccius Martellus, episcopus Fesulanus, erga pontificem, inquit Raynaldus, et religiosos ordines male affectus, declamavit contra monachos. Ejus orationis epitomen ex Actis Concilii, a Raynaldo laudatis, lectori sistimus : *Me torquet,* inquit, *ut sit liberum regularibus in suis monasteriis, nec missis nec vocatis a nobis, in nostris diœcesibus prædicare ; nam, hoc si admiserimus, pontifices, quid aliud est quam pati ut lupi, non*

(1) Anatom. Hist. theol. cit. in Veritate inextincta. concil. Trid. Redingii, tom. 2, pag. 425.

(2) De Statu Eccles. cap. 7, § 8, pag. 602.

(3) Pallavicinus. Hist. Concil. Trid. lib. 22, cap. 8, num. 5, et seqq. tom. 3, pag. 236 et seq. et Acta concilii Tridentini Gabrielis card. Palaeotti, edente Mendham, pag. 595 et seq.

(4) Jus eccles. univ. part. 3, tit. 12, num. 2, tom. 2 Opp. pag. 427.

(5) Annal. eccles. ad annum 1546. num. 61, tom. 33, pag. 151.

per ostium, sed per posticum intrantes, greges nostros turbent. Quapropter rogo vos, pontifices, ut hæc pati nolitis. Quod si secus factum fuerit, protestor quod invitus omnino hoc permittam : verum provocabo ad Christi tribunal me nihil in hoc peccasse. Super vos igitur erit culpa et sanguis eorum. Pergunt continenter eadem Acta : *Cui suo ordine Britonoriensis optime respondisse visus est*; inquit enim: *Patres, scire nos oportet omnium christianorum episcoporum esse papam ; nos autem in partem ejus sollicitudinis vocatos esse : quamobrem non minus per ostium intrat, qui a pontifice maximo mittitur ad nostras oves, quam is qui a nobis mittitur. Cogitate, si placet, pontifices ipsos maximos privilegia ipsa regularibus concessisse propter nostram desidiam, ne dicam ignorantiam ; quod ni fecissent, protinus Christi ecclesia corruisset ; sunt enim regulares, qui omne onus episcopale subeunt ; nos, siquid lucri est, nullo labore suscipimus. Britonoriensis sententiam, concludunt Acta, alii quoque secuti fuerunt* (1) ; adeoque Caselio, seu Britonoriensi episcopo, communiter assensum fuisse sacrum senatum diserte testatur Pallavicinus (2).

Sed Fesulani dicta impune abire non poterant : quocirca cardinalis Montanus primus concilii Præsidum, in oratione quam de propositis decretis ad cœtum habebat, ad Martellum conversus : *Qui divinum*, inquit (3), *ad judicium provocant ob gregem sibi concreditum, quum ab exteris abripitur, cur animo non reputant, a regularibus illorum partes expleri ab ipsis neglectas ? Si vero pontifex familias adeo de ecclesia bene meritas privilegiis exueret, illæ continuo concionandi laborem desererent cum ingenti fidelium detrimento.* Postremo dixit, uti delecti patres studerent decreta conficere ex majoris partis sententia.

9 Expensis itaque de integro rebus in privatis congressibus, compositisque plurimorum animis ad moderata consilia ineunda, generalis alius cœtus die 10 maji coactus, quo illi articulo statuendo daretur initium (4). Decreti forma eo die proposita hæc continebat : haud licere regularibus concionari extra sua templa

(1) Ibid. loc. cit.
(2) Hist, concil. Trident. lib. 7, cap. 4, num. 4, tom. 1, pag. 231.
(3) Ibid. num. 5, pag. cit.
(4) Ibid. num. 6.

absque facultate suorum præsidum et episcoporum, neque in suis templis absque licentia suorum præsidum, episcopis scripto monstrata; si populo offensioni forent, posse interdici ab episcopo concionibus in quocumque suæ diœcesis templo; si hæreses propinarent, judicium penes episcopum fore (1). Turbavit hunc cœtum tum lis, occasione oratoris Lusitani excitata, tum nova Fesulani oratio qua pontificem, legatos et maxime Mendicantes objurgabat, quod hi cuncta episcoporum occuparent munera, soli e suggestu Evangelium explicarent, soli e sacræ confessionis tribunalibus animos fidelium regerent, et sus deque omnia perverterent. Igitur hortari se collegas, ut seipsos in pristinam auctoritatem restituerent; adjecitque alia nonnulla contumeliosa, quæ apud Labbeum (2), Le Plat (3) et Pallavicinum (4) legere est.

Cardinalis Montanus, qui per summam impatientiam Martellum audierat, studuit hominis ferociorem animum nonnihil deprimere; at Polus, quem vulgo cardinalem Angliæ vocabant, gravi temperataque dicendi ratione intercessit: *Multa bona*, inquit (5), *dicta fuerunt a domino Fesulano, quæ et nos et boni omnes æque secum desiderant; nam episcopos residere, prædicare, muneri episcopali operam dare, non nisi bonum est; modus autem dicendi nequaquam bonus est; hoc enim magis invectiva fuit quam libera sententia, et seditiosa concitatio quam plana et æqua oratio; quamvis, si omnia perpendantur, neque oratio ipsamet satis sibi constet: non videt enim, quod dum proximis diebus curaret, ut nomina legatorum delerentur ex decretis, et pridie dum ad tribunal Christi appellasset, quantum in se erat, jus et auctoritatem concilii minuisset, quam maxime debebat extollere, si ex concilii auctoritate desiderabat pristina jura episcopis concedi et restitui;* NUNC RURSUS NON COGITAT, DUM ADVERSUS OMNES REGULARES INVADIT, UT EPISCOPIS PROPRIA RESTITUANTUR, HOC UNUM AGERE, UT EPISCOPI CAREANT MINISTRIS. *Utinam*

(1) Ibid. num. 8.

(2) Collect, concil. tom. 14, col. 1636 et seqq.

(3) Monument. concil. Trid. tom. 3, pag. 405 et seqq.

(4) Hist. concil. Trid. lib. 7, cap. 4, num. 12, tom. 1, pag. 231 et seq.

(5) Raynaldus, Annal. eccles. ad annum 1546, num. 64, tom. 33, pag. 152; Le Plat, Monum. concil. Trid. tom. 3, pag. 413; Pallavicinus, lib. 7, cap. 4, num. 15, tom. 1, pag. 232.

enim episcopi sine iis facere possent, quoniam res Christiana melius se haberet quam se habeat etc. At Fesulanus exclamans Polo respondit (1) : *Tacere eum non posse, qui se spoliari agnosceret.* Sed novas turbas timens Montanus conventum abrupit.

Significarunt legati cardinali Farnesio, Romæ apud pontificem degenti, gesta istius conventus : nempe ut decreto de tollendis corruptelis, quæ in tractandis Sacris Scripturis committuntur, finis imponeretur : extractamque rem in noctem ob sententiarum in diversis capitibus varietatem ; quum plures episcopi propriis commodis magis quam æquitati consulerent, ac regularium *parochorumque* privilegia rescindi cuperent, quasi ipsorum auctoritas ex depressa eorum dignitate excresceret ; Fesulanum et Clodiensem episcopos, quorum dicta ad seditionem quodammodo spectare viderentur, e concilio revocandos videri ; arsisse autem odio Fesulanum præsulem in religiosos ordines, declamantemque adversus eos lubenter audiri a pluribus. Hæc Raynaldus (2), qui legatorum litteras præ oculis habebat.

Generalis iterum congressus die 18 maji habitus, in quo post nonnulla de legatorum potestate disceptata, cardinalis Montanus, concilii præses, acrius disseruit in præteritam Fesulani concionem, cujus exemplar Romam miserat. Illam scilicet redarguit tamquam plenam calumniis, contumeliis, seditionibus, schismatibus. Calumniis quidem, quum in pontificem quasi privilegia impertitum juri divino repugnantia, omnium corruptelarum sentinas ; tum pariter in legatos, quasi libertatem concilii præpedientes, studentesque suo jure antistites spoliare ; contumeliis in eos patres, qui decretum conflarant, quasi fallax et fraudulentum ; multoque magis in regulares, dum eos cunctis probrorum criminumque sordibus onerabat ; seditionibus, episcopos oblique cohortando ne sententias in concilio dicerent, antequam obtinerent id quod ipsis debitum ille rebatur ; et oblata universo religiosorum ordini ad tumultuandum occasione ; denique schismatibus, quod inficiabatur licere pontifici religiosis concedere

(1) Pallavicinus, num. 16, pag. cit. num. 65, tom. 33, pag. 152.
(2) Annal. eccles. ad annum 1546,

ut libere concionarentur; aliaque hæresi finitima pronuntiabat. Voluisse legatum ea omnia patribus exponere; animadversione culpæ consentanea in opportunum tempus servata, quum eo die argumenta proposita expendenda superessent (1).

Paulo post Caselius, per proxime præteritam Fesulani concionem sibi visus appeti, dicendi spatium postulavit. Renitentibus Pacheco et Montano, urgebat : *Si jam illi patienter audierant hominem synodo et ipsi pontifici obloquentem, longe convenientius id indulgendum homini, qui suam dignitatem tueretur.* Petenti Caselio prius Galeatius Floremundus Aquini antistes, dein alii plurimi assensere, Fesulani concionem tanquam *indignam* et *turpem* criminantes. Inter has obstrepentium voces Fesulanus, *obortis lacrymis*, contestatus est, haud suæ fuisse mentis in synodum vel sedem apostolicam quidquam obloqui ; quod siquæ ambigua verba exciderant, patres obtestari, ut in saniorem significationem acciperent. At Ægidius Falcetta, Caprulanus episcopus, urgebat Martelli verba innoxiæ interpretationis non esse capacia; illius nomen jam apud Lutheranos innotuisse, adeoque oportere ut inflicta pariter pœna innotesceret. Tum vero, subjicit Pallavicinus (2), ex quo hæc depromimus, suo malo sensit Martellus audaciorem in magistratus mordacitatem suscipi primo brevi plausu arridentis coronæ; sed paulo post communi vituperatione discerpi, læsique magistratus arbitrio derelinqui. Hinc mœstitia ac rubore perfusus, nitebatur suæ mentis invocare testem in dictis, anteactæ vitæ seriem in rebus gestis. Qua demissione tacti nonnulli ex ejus adversariis, affirmarunt episcopum ita resipiscentem venia dignum esse. Rem in ambiguo reliquerunt legati, quod pontificis responsum exspectarent ; id demum ad eos delatum, nempe Fesulani *petulantiam* verbis tantum castigandam (3).

Deventum denique est ad ipsius decreti examen. Paucis diebus ante in cœtu privato, coram cardinali Polo habito, pene cunctis ibidem præsentibus placuerat instaurandam esse constitutionem Hadriani VI, qua omnes injussu ordinario-

(1) Pallavicinus, lib. 7, cap. 4, num. 19, tom. 1, pag. 233.

(2) Ibid. num. 20, pag. cit.

(3) Ibid. num. 13, pag. 232.

rum concionari vetabantur. Verumtamen in præsenti generali consessu censuit Pachecus *curionibus* in parœcia degentibus *concedendum*, uti regularibus concionandi facultatem suis in templis traderent. Cui ardenter obstitit episcopus quidam, olim ipse regularis : ast *pauci* ex patribus huic, *plures* Pacheco assensere; et, licet postea hinc illinc duriora emissa fuerint verba, nil tamen mutatus fuit hujus congressus exitus (1).

10 In conventu diei 10 junii iterum de eodem argumento actum est; et, licet ex testimonio Fabii Mignanelli, olim in Germania nuntii, constaret Hadriani VI constitutionem, pro Germania editam, ibidem usu non fuisse ubique probatam, eam tamen in medium protulit episcopus ille regularis, de quo supra, monuitque patres *magnæ esse dementiæ in suam rem potestate non uti, quum ea jam obtinetur, et alias speranda non est; haud semper coactam exstare synodum œcumenicam; repeterent itaque episcopi sua jura dum possent, et dum inerat pontifici* (*ut ei supponere libebat*), *ea reddendi voluntas* (2).

Hujusmodi declamationes, inquit Pallavicinus (3), plurimos trahebant eo validissimo illicio, quod præ se ferunt consilia ad communem utilitatem adducta, ubi illius per se singuli sunt participes : adeo ut, qui decretum in privatis cœtibus digesserant, commoti, ut fieri solet, desiderio sedandi vehementius vociferantes, decretum reformarint, ita ut episcopi venia necessaria foret parochis ad accersendos regulares concionatores atque hi absque eadem venia ne in templis quidem suis concionari possent. In cætu generali diei 15 junii redarguit hanc decreti partem Pachecus, sed frustra : quum plerique patres pristinam suam mutassent sententiam. Surrexit tum Seripandus, Augustiniani ordinis prior generalis, deinde cardinalis et sub Pio IV cum quinque aliis legatis concilii præses, vir sane quam maxime venerabilis. Ad sacrum cœtum temperatissimam habuit orationem, et (ut olim decessor ejus Ægidius Viterbiensis) strenue defendit regularium privilegia. Persuasit itaque patribus

(1) Ibid. cap. 5, num. 6, et seq. pag. 234.

(2) Ibid. num. 7, pap. 235.

(3) Ibid. num. 8, pag. cit.

parum de episcopis et parochis, tot aliis sollicitudinibus circumdatis, circa prædicationem divini verbi sperandum esse; hujus tamen promovendæ necessitatem perspectam esse omnibus; non itaque regularium oneri adjiciendum esse onus, ne ubi se ita coarctatos sentirent, suisque benefactis hæc demum rependi, congelaret in ipsis omnis animi conatus ad studium ac laborem; nam religiosos tandem homines esse, non perfectos sed ad perfectionem connitentes. Seripandi concio mirifice patrum animos delinivit; alii dein pro eadem sententia auditi; sed exacta jam dies rem in proximum conventum protraxit (1). Hinc factum est ut die 16 junii in cœtu generali probatum sit decretum, quo adstringerentur regulares ut in alienis templis non concionarentur sine sui superioris et episcopi licentia, in suis vero non sine licentia sui superioris et petitione benedictionis episcopalis, licet non obtentæ. Postridie in sessione v lectum est prius Breve Pauli III ad legatos, quo licebat patribus ea de interpretatione et prædicatione verbi Dei pro suo arbitratu decernere, quæ essent etiam juris communis et conciliorum dispositioni, necnon sedis apostolicæ privilegiis repugnantia (2); propositum dein decretum, pridie probatum; et responderunt omnes patres simpliciter: *Placet*; præter duos qui addi voluissent: *Si neglexerint se præsentare episcopo, non possint prædicare*; quatuor, qui asserere cupiebant episcopis facultatem prohibendi; et Fesulanum, qui contra decretum *protestatus est* (3).

Atque hæc est celebris illa historia, qua multis in locis abutitur Espenius et quæ alios induxit ad asserendum *in concilio Tridentino cogitatum fuisse de revocandis omnibus regularium privilegiis*, dum tamen de una in prædicando verbo Dei libertate ageretur, et parochorum jus magis in controversiam

(1) Ibid. num. 9 et seqq. pag. 235 et seq.

(2) Martene, Vet. Monum. collect. ampl. tom. 8, col. 1098; et Le Plat. Monum. concil. Trid. tom. 3, pag. 427.

(3) Vide Vota patrum ap. Martene, Vet. Monum. tom. 8, col. 1097; et Le Plat, Monum. concil. Trid. tom. 3, pag. 426; Cfr. Pallavicinus, lib. 7, cap. 5, num. 15, tom. 1, pag. 236.

ductum sit et passum, quam ipsa regularium privilegia; neque vicerunt regulares *propter labores, quos in ecclesia impenderant,* ut aliquando traditur, sed maxime quoniam utilissimæ eorum essent conciones et deinceps fore merito sperarentur. Postea vero, licet obstarent Galli (1) et maxime cardinalis Lotharingus (2), qui perhibebat *a quibusdam episcopis hæreticis in Gallia vetitos fuisse catholicos conciones habere*; *decretum tamen fuit* (3), *ut nullus sæcularis sive regularis, etiam in ecclesiis suorum ordinum, contradicente episcopo, prædicare præsumeret.*

Ut hæc demum concludamus, apponimus testimonium decretorium cardinalis Pallavicini, qui omnia concilii acta, epistolas ultro citroque datas, rerumque gestarum commentarios pervolvit et cujus fides in scribenda concilii Historia omnibus catholicis probata fuit. Hic nempe, postquam aliquot retulisset argumenta, quibus impulsi Romani pontifices immunitates et privilegia regularibus concesserunt, statuit contra Suavium in concilio tractatum non fuisse de illis abolendis, sed de auctoritate quæ episcopis largienda videretur ad certos redarguendos regularium lapsus : ET SANE, inquit (4), PARUM VEL NIHIL ACTUM EST ID TEMPORIS IN CONCILIO DE ABROGANDIS REGULARIUM IMMUNITATIBUS ; SED POTIUS MAJORVE MINORVE TRIBUENDA ESSET EPISCOPIS AUCTORITAS, REGULARES IN QUIBUSDAM CONDITIONIBUS PUNIENDI. *Actum quidem est, an alii privati ecclesiastici, eorumque collegia vel capitula, ut vocant, sub episcoporum potestatem redigenda; quæ omnia, sicut postea videbimus, composita. Gravis quidem,* sic pergit concilii historicus, *sed communis est hominum error, a proprio ipsorum amore profectus, per quem sibi quisque persuadet, æquum esse recuperare id, quo vel ipse vel ipsius majores semel potiti sunt, perinde quasi pro hujusmodi jure spoliandus et ipse non esset : quum certum sit, quidquid vel ille obtinet, vel ipsius majores possedere, aliqua vetustissima tempestate nec penes eum, nec penes suos illud fuise, sed penes alios, qui rem illam amiserunt.* Hæc ille.

(1) Cfr. Psalmaeus, ap. Hugonem, Access. ad sac. antiquit. monum. pag. 402.

(2) Pallavicinus, lib. 23, cap.3, num. 5, pag. 253 et seq.

(3) Sess. 24. de reformat. cap. 4.

(4) Hist. concil. Trid. lib. 8, cap.17, num. 12, tom. 1, pag. 291.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

De causis conservandæ exemptionis regularium.

1. Quas ob causas Gregorius XVI censuerit etiam præsenti tempore regularium exemptionem conservandam esse.
2. Quantum ei faveant sanctiones ecclesiasticæ.
3. Itemque longa sæculorum plurium experientia.
4. Similiter sedis apostolicæ utilitas.
5. Item episcoporum utilitas.
6. Quam utilis sit regularibus exemptio a jurisdictione episcopali multis ex capitibus liquet.
7. Congregationibus et ordinibus religiosis est necessaria.
8. Disciplinæ religiosæ reformatio quomodo forsan procurari possit.
9. Exemptio regularium utilis est Christi fidelibus.
10. Odium hæreticorum et impiorum adversus exemptionem regularium.

Siquis quæ hactenus de origine et fatis privilegiorum regularium dicta sunt mente recolere voluerit, is inficiari non poterit nullam fere disciplinæecclesiasticæ partem tam firmis niti fundamentis quam regularium exemptionem et pauca reliqua quæ eis supersunt privilegia. Non enim ab ullius arbitrio profecta sunt, sed, necessitate aut summa ecclesiæ utilitate suadente, inducta et conservata.

Sed hæc pluribus exponenda. Qua in re ducem sequemur Gregorium papam XVI; qui, quum triginta quatuor abhinc annis, de regularium exemptione ab archiepiscopo Mechliniensi, dein S. R. E. cardinali, Engelberto Sterckx, interrogatus, significavit (1) *voluntatem suam esse, ut regularium, quos in Belgio iterum congregari contigerit, exemptio conservaretur*, in cujus defensionem ECCLESIASTICAS SANCTIONES invocavit, LONGAM SÆCULORUM PLURIUM EXPERIENTIAM, ET IPSUM HÆRETICORUM ET INCREDULORUM IN EXEMPTIONES ODIUM.

2 Quod ad *sanctiones ecclesiasticas* attinet, præsto sunt in-

(1) Synodi Mechlinienses novissimæ, pag. 216.

numera *omnium fere* pontificum diplomata, immensa episcopalium et regiarum chartarum multitudo, et plurium conciliorum etiam œcumenicorum acta, in quibus regularium exemptiones aut privilegia laudantur ut maxime utilia vel etiam necessaria. Quin imo, si in nonnullis conciliis surrexere aliquot episcopi, privilegia hæc tollenda censentes, nihil aliud voluere reliqui patres, quam ut abusus tollerentur, minime vero ut res ipsa abrogaretur (1); quin etiam ipsa privilegia denuo confirmarunt. Quod apud omnes probos de præsenti argumento scriptores maximi ponderis est.

3 Neque mirum : aderat nempe *longa sæculorum plurium experientia*; et, ut loquitur Pius papa VI (2), *quanta temeritas insurgere adversus disciplinam tam antiquam, tantaque auctoritate fultam in ecclesia et regno!* Utilitas autem, *longa* illa *sæculorum plurium experientia comprobata,* valde multiplex est; sed ad quadruplex caput reduci posse nobis videtur : ad utilitatem nempe sanctæ sedis, episcoporum, ipsorum regularium et demum Christi fidelium, quos regulares opera sua adjuvare debent.

4 Et quidem *sanctæ sedis utilitatem,* ex regularium immunitatibus ortam, tam ecclesiæ hostes quam probi catholici admittunt. Quocirca Petrus Suavius (3), Espenius (4), Febronius (5) aliique privilegia regularium, quæ adminicula vocant curiæ Romanæ, argumenta immediatæ jurisdictionis pontificiæ, aut incitamenta regularium ad tuendam auctoritatem papæ, e medio censent tollenda. Contra ex hoc capite ea servanda propugnat Jacobus, abbas Cisterciensis, in Memoriali oblato concilio œcumenico Viennensi anno 1312 (6); similiter auctor Memorialis, eidem concilio præsertim pro Mendicantibus exhibiti (7); pariter

(1) Cr. Pacetti, dissertatio de exemptione, pag. 45 et seq.

(2) Breve *Quod aliquantum,* Collect. brevium, edit. Belg. 1801, tom. 1, pag. 90.

(3) Ap. Pallavicinum, lib. 12, cap. 13, num. 8, tom. 2, pag. 127.

(4) Jus eccles. univ. part. 3, tit. 12, cap. 6, num. 4, tom. 2 Opp. pag. 427 et seq.

(5) De Statu Eccles. cap. 7, § 7, pag. 592, cap. 7. § 8, pag. 602 et seq. et passim alibi.

(6) Raynaldus, Annal. eccles. ad annum 1312, num. 24, tom. 23, pag. 564 et 567.

(7) Ibid. pag. 569 et seq.

Salmeron, qui concilio Tridentino maxima cum laude interfuit (1); necnon laudatissimus concilii Tridentini historicus Pallavicinus (2), aliique non pauci. Statuunt hi scilicet maxime enitere Romani pontificis in universam ecclesiam auctoritatem, quum in qualibet diœcesi aut provincia aliquos habet, quorum ipse unus ordinarius et immediatus pastor est; deinde compertum esse, omne generale regimen, quo se illæsum tueatur, opus habere in singulis provinciis aliquo prævalido præsidio ejusmodi subditorum, qui principi per se ac perpetuo illic dominanti nequaquam subjiciantur; tertio ad tuendam sanctam sedem adactos esse ordines exemptos, quum eorum exemptio a potestate et arbitrio pontificis pendeat; quarto, non alio pacto Minorum et Prædicatorum Ordines sustentandæ Lateranensi basilicæ collabenti, hoc est ecclesiæ catholicæ, opportunos fuisse futuros: vaticinium profecto, quod re comprobatum est, vel ipso Nicolao Machiavello fatente: nec alio pacto Cluniacenses tanto præsidio futuros fuisse pontificibus inter media schismata (*a*), adeoque quid regulares, nisi exempti fuissent, egissent in Belgio, quum duo præsules ita adhærerent Jansenii placitis, ut tandem post exhaustam pontificis patientiam excommunicandi fuerint, quum universitas Lovaniensis, totius Belgii seminarium, magnam sane partem eadem scabie infecta esset, et quum uterque dicti præsules adeo

(*a*) Benedictus XIV (3) et Pacetti (4), utilitatem exemptionis canonicorum cathedralium recensentes, non verentur hæc scribere: « Et quidem Saravia (5), inquiunt, asserere non dubitavit, numquam tantam vim habitura fuisse duo illa capitula, Bellovacense in Gallia et Coloniense in Germania, ut sese valide viriliterque opponerent præsulibus suis, tunc quum ambo, sicuti legimus in historiis, a fide catholica defecerunt, nisi fuissent a jurisdictione suorum episcoporum immunia. » Similia habet Pallavicinus (6).

(1) Comment. in Evang. et Act. Apost. lib. 12, tr. 19, tom. 12, pag. 122.

(2) Lib. 8, cap. 17, num. 11 et seqq. tom. 1, pag. 291, lib. 12, cap. 13, num. 8, tom. 2, pag. 127.

(3) De Synodo diœces. lib. XIII, cap. 9, num. 2, tom. XII Opp. pag. 107, edit. Bassan.

(4) De exemptione personarum non regularium ab auctoritate episcopali, pag. 11.

(5) Tractat. de adjunct. quæst. 1, num. 41.

(6) Hist. Concil. Trid. lib. 23, cap. 3, num. 9, tom. 3, pag. 254.

aversarentur exemptos regulares, ut ad eos supplantandos et conterendos in Belgium induxerint ope Sansigiranni et Jansenii patres Oratorii Gallicani? Verum quum per eorum exemptionem minus timendæ eis essent hæreticorum iræ, libere pergere potuere in excolendo agro dominico et servando populo a contagione. Similiter dubium nullum est quin maxime factum sit per regulares exemptos, ut tota fere missio Batavica a Jansenianis unguibus erepta fuerit. Oppressione scilicet et divexatione eo res deducta fuerat, administratore Codde archiepiscopo Sebasteno, ut trecenti sacerdotes, laudantes doctrinam viri aperte hæretici, ipsimet indirecte hæresim professi fuissent; ut palam e pulpito annuntiaretur hæresis: exercitia pietatis christianæ, a sancta sede probata, publice ludibrio haberentur; sed, dum pauciores e clero sæculari resistere auderent torrenti, fortiter pro Dei causa stabant regulares, eorumque vexillo ita adhærebat populus, ut non semel propulerit et ignominiose ejecerit presbyteros, qui gratiam physice victricem divenderent, rosaria et scapularia impeterent, confessionis sacramentalis sigillum violari posse, dum id majus bonum exigeret, prædicarent et alia adhiberent adminicula ad sacramentorum usum tollendum. Porro si Coddeus, Heussenius aliique hæreseos antesignani et missionis præfecti eamdem in regulares nacti fuissent auctoritatem quam in clerum sæcularem, quis obsistendi fuisset modus, quæ conservandæ religionis via? Re quidem vera caro id tandum constitit Societati Jesu; adeoque anno 1708, dum in missione Hollandica centum circiter e provincia Belgica patres sacrum ministerium exercerent, decretum tulerunt, promoventibus Jansenistis, status Hollandiæ : *Mox exeant Jesuitæ, sin minus tamquam perturbatores tranquillitatis publicæ puniantur*. Et, ut addit Bachusius (1), ipse aliquando hæreticæ factioni addictus, *omnes boni nominis, probatæ virtutis, apostolici operis viri, non degeneres successores eorum, qui ab anno* 1592 *in hæc tempora per angustias hæresum et pericula missioni Batavicæ tam egregiam navarunt operam, ut ubertate evangelicæ messis, flore populi, nitore templorum, ædiumque elegantia omnes operarios ante-*

(1) Acta Zegeri Van Espen, Quesnelli et Erkelii, pag. 9, edit. prima.

cellerent; hæc tamen commoda, hos splendores ea animi magnitudine reliquerunt, ut neque in Hollandiæ proceres querimonia, nec in rebellem clerum maledicentia, neque vel unico libelli acrioris apice injuriam vindicaverint. Hæc Bachusius. Quis verò dubitet quin hæc constantia in propugnanda fidei veritate, in servando erga sanctam sedem fideli obsequio, in dimittendis potius omnibus quam aures vicariis suspensis aut intrusis præberent, magnam partem debita sit exemptioni a vicariorum potestate? In Galliis quoque si imperterriti steterunt societatis Jesu patres adversus hæresis Jansenianæ fautores, nonne aucta eorum confidentia, quod ab episcoporum jurisdictione erant liberi? Re quidem vera cardinalis de Noaliis, archiepiscopus Parisiensis, eos omnes sacramenti pœnitentiæ administratione et prædicatione divini verbi annos plures interdixit, eosdemque ad viginti novem annos eadem pœna mulctavit Daniel de Caylus, episcopus Antisiodorensis. Iniquissima utique hæc erant facinora et manifestissima privilegiorum apostolicorum violatio ; verum quot alii, nisi eos cohibuisset tanti sceleris invidia idem patrassent? Quanta contra facilitate Scipio Riccius, episcopus Pistoriensis, presbyteros non exemptos ad subscribendum schismaticæ et hæreticæ suæ synodo induxit? Utile itaque est ut in singulis diœcesibus aliquot sint viri, quos non nisi ægerrime terrere possint et a sanctæ sedis reverentia dimovere episcopi prævaricatores. Quod et ex historia Coloniensi liquet : quum enim duo archiepiscopi ad Lutheranorum castra transierunt, fuissetne et capitulo cathedrali et Carthusianis tanta resistendi audacia, si ab eorum imperio non fuissent securi? Similia habet de Carthusianis Anglis aliisque Fellerus (1). Manifesta itaque est sanctæ sedis utilitas.

5 Neque minor est *utilitas episcoporum*, debito modo intellecta. Sane S. Bonaventura ita de ea disserit: *Si autem movet eos,* inquit loquens de episcopis (2), *quod sumus exempti a jurisdictione ipsorum quoad nos ipsos; tunc e converso consolentur, quod liberiores sunt, quod pro nobis non tenentur reddere rationem; ut de nostra gubernatione carent honore, ita sunt liberi a sollicitu-*

(1) Congrès d'Ems, pag. 144 et seq.

(2) Libell. apolog. in eos qui FF. Minoribus advers. quæst. 10, tom. 5, Opp. pag. 74, edit. 1754.

dine et labore, excepta providentia pietatis et inter nos in suæ pacis unitate servanda. Similiter Cardinalis Palavicinus : *Quapropter existimo*, ait, *nec* (1) *si pontifex quidem episcopis offerret ultro subjecturum se ipsorum jurisdictioni cœtus omnes ab illa immunes, episcopos, qui religionis studio ac prudentia præcellerent, ob publicam privatamque quietem ne id fieret precibus intercessuros.* Neque aliter archiepiscopus Strigoniensis, primas Hungariæ et S. R. E. cardinalis, Bathianus in epistola ad Josephum II loquitur, quum, allegans rationes ob quas regularium gubernium sibi vindicare nolit, inter alia rogat imperatorem ut suum agendi modum adscribat *modestiæ, quæ non plus præsumit, quam audeat* (2) seu præstare valeat.

6. De *utilitate* autem, quæ *regularibus* ex exemptione oritur, integer liber facile conscribi posset. Imprimis hæc non tantum utilis sed vere necessaria censetur iis ordinibus aut congregationibus, quarum omnia membra uno supremo capiti subsunt. Id adstruunt non tantum quatuor prælaudati scriptores, Jacobus Abbas Cisterciensis (3), auctor Memorialis pro Mendicantibus (4), Salmeron (5), Pallavicinus (6), verum etiam primi Abbates Cluniacensis Congregationis, e quibus sex inter cœlites relati sunt, SS. Franciscus Assisias et Dominicus, S. Franciscus de Paula, S. Ignatius de Loyola, S. Teresia et plures alii sancti ordinum aut congregationum religiosarum conditores aut reformatores ; qui omnes necessarium duxerunt religiosos suos exemptos esse ab episcoporum jurisdictione ; quin etiam ipse Febronius in sua Retractatione id professus est his verbis (7) : *Exemptio regularium, quorum magna in ecclesia utilitas, eorumdemque immediata subjectio ad sedem apostolicam, legitimis ex causis,* IN BONUM NON TANTUM RELIGIOSORUM ORDINUM, SED ETIAM UNIVERSALIS

(1) Historia conc. Trid. lib. 12, cap. 13, num. 8, tom. 2, pag. 127.

(2) Demissa exposit. card. Bathiani, ap. lettres de Notre Saint Père le pape et de Sa Majesté l'empereur, pag. 41 et seq. édit. 1782 ; et Feller, coup d'œil sur le congrès d'Ems, pag. 148 ; et ap. Roskovany, Monum. Cath. de independ. potest. eccl. tom. 1, pag. 519, Quinque eccles. 1847.

(3) Raynaldus, Annal. eccles. ad annum 1312, num. 24, tom. 23, pag. 564.

(4) Ibid. pag. 575 et seqq.

(5) Comment. in Evang. et Acta Apost. lib. 12. tract. 19, tom 12, p. 122.

(6) Hist. Concil. Trident. lib. 8, cap. 17, num. 12, tom. 1, pag. 291.

(7) Ap. Feller, Congrès d'Ems, pag. 150 et seqq.

ECCLESIÆ, *videlicet* AD FACILIOREM EORUMDEM SUB UNO SUPREMO CAPITE GUBERNATIONEM, INTRODUCTA, ET AB OMNIBUS ECCLESIIS AGNITA, *nedum a sæculari potestate, sed nec ab una particulari synodo abrogari valet. Abusibus ex hac exemptione enasci valentibus per concilium Tridentinum occursum et prævisum est.* Ad quam confessionem ei extorquendam multum sane valuerat nitida hujus rei expositio Zaccariae, qui urgens contra ipsum Febronium modum adhibitum a sanctis Bernone, Odone, Majolo, Odilone, Hugone et Petro Venerabili, Cluniacensibus Abbatibus, in constituenda congregatione Cluniacensi et in reformandis per eam monasteriis, sic concludit (1) : *Frustra hæc omnia fuissent, nisi monasteria Cluniacensi abbati subjecta ab episcoporum jurisdictione Romani pontifices vindicassent ; tot enim fuissent moderatores quot monasteria, neque summa abbatis generalis præfectura quidquam ad disciplinam seu instaurandam seu conservandam contulisset, ubi hæc episcoporum arbitrio relinqueretur. Id ergo primum sanctissimis Cluniacensibus abbatibus cordi fuit ut quæ suo essent monasterio subjecta cœnobia, ea sub una essent Romani pontificis potestate. Sic nempe disciplinæ æquabilitas a capite in cætera membra dimanare, servarique certo poterat. Quod si præclarissimi illi monasticæ vitæ instauratores, quum unus fere Benedictinorum monachorum ordo floreret, ne turbarentur omnia, necessarium duxerunt, quid eos in tanta religiosorum ordinum, qui postea inducti sunt, diversitate facturos fuisse putabimus ? Quotusquisque enim est qui non intelligat, paucissimos tot inter episcopos exstare, qui tot sanctorum institutorum vim, officia, discrimina animo complectantur, suamque ita in omnia curam intendere accommodent ? Nihil tale a Romanis pontificibus metuendum. Præsto illis plurimi sunt ex omni cœtu consiliarii quos audiant, præsto adjutores plurimi quorum opera in abditioribus cujuscumque ordinis regulis perscrutandis utantur. Atque hac factum de causa quod omnium, quos post duodecimum sæculum introductos scimus, regularium ordinum institutores suos Romanæ sedi alumnos devoverint, ab episcoporum jurisdictione subductos.* Et sane quid

(1) Antifebronius vindic. dissert. 10, cap. 4, num. 8 et seq. Ap. Migne, Cursus theolog. complet, tom. 27, col. 1179 et seq.

fieret de religione, ut animadvertit auctor Memorialis pro Mendicantibus (1), quæ, dum debet uniformiter vivere, subjiceretur multis et diversis voluntatibus, quæque proin continuo obnoxia fieret diversis consuetudinibus diversisque modis agendi ? Adde essentiam multorum ordinum immutatum iri. Etenim S. Ignatius de Loyola multum secum deliberavit an speciali voto sanctæ sedi devinciendi forent Societatis professi, et utrum præstaret eos voto adstringi summo pontifici an episcopis; decrevitque tandem eos permittendos papæ, nequaquam episcopis; neque id statuit sine gravissimis causis, quas apud Bartoli videre est (2); adeoque hæc res ad ipsam Societatis essentiam pertinere declaratum est in Congregatione generali V (3). Atque idem dixerim de aliis fere ordinibus. In omnibus enim certa est hierarchia, quæ, ni susdeque omnia vertere velis, mutari nequit : verbi gratia, Franciscanus parere debet suo guardiano; deinde custodi; tertio ministro provinciali: quarto commissario generali; quinto ministro generali; sexto protectori ordinis, qui solet esse aliquis ex numero cardinalium ; postremo summo pontifici. Jam supponamus episcopum intervenire huic ordini hierarchico : sane superior erit ministro provinciali ; unde hic in gubernanda sua provincia tot habebit superiores, quot sunt diœceses in quibus sua provincia domos numerat; si episcopum superiorem faciamus commissario generali aut ministro generali, (de cardinali protectore submittendo episcopis quæstio esse non potest), res adhuc pejor evadit. Et quidem, in universum loquendo, quis non videt totum ordinem disturbari ? Nam, quum omnis imperii ratio ita sit comparanda, ut quo altius ascendas, eo minor sit superiorum numerus, donec tandem ad unum caput devenias; hic contra haberes prius plures superiores, dein pauciores, postmodum unum et demum iterum bene multos, qui omnia ferme pro arbitrio regerent. Sed hæc de ordinibus et congregationibus sub uno capite militantibus.

Generatim vero exemptionem utilissimam esse regularibus, bene institutis, ex multiplici capite liquet. Nam, ut loquitur

(1) Ap. Raynaldum, tom. 23, pag. 575.

(2) Vit. S. Ignatii lib. 3, num. 6, pag. 204 et seqq.

(3) Decret. 44, 45 et 58, Instit. Soc. Jesu, tom. 1, pag. 554 et 560, Pragæ, 1757.

Salmeron (1), cui reliqui sæpius citati consentiunt, *quum ad bene gubernandum opus sit pastorem diligenter agnoscere vultum pecoris sui, et ut dilectionis affectu oves prosequatur; certe magis agnoscere poterit oves, qui eamdem vitam est professus, quam episcopus, qui ejusdem professionis monasticæ ut plurimum esse non solet.* Quæ omnino conformia sunt iis, quæ in diplomate Corbejensi inserenda curavit pontifex Nicolaus, anno 863, inquiens (2) : *Nec bene disponet aliquando cujuscumque militiæ vitam, cujus non fuerit ipse qui disponit æmulator.* Et similia docet Salmeron (3), quin etiam addit bonos et doctos episcopos, et qui olim fuerunt religiosi, a gubernio regularium arcendos, *quia ordinarent suæ diœcesis religiosos ad bonum ipsius, et non ad bonum corporis totius religionis; unde cito religio periret, sicut corpus in frusta concisum, partibus inter se divisis.* Particulatim vero explicat auctor Memorialis pro Mendicantibus hujus ruinæ periculum ; sed brevitatis causa exhibebo tantum quæ disserit de obedientia : *Potest argui ad propositum,* inquit (4), *primo ex obedientia, quia illud quod vel impedit vel minuit religiosorum obedientiam ad patrem monasterii est nocivum voto obedientiæ ab eis facto ;... sed jurisdictio episcopalis nata est impedire talem obedientiam, quia jurisdictiones contendentes in eamdem personam natæ sunt impedire, etiamsi respiciant diversos casus; quia, quantumcumque casus sint diversi, in una persona non possunt simul exsequi plures; nam exsequendo unam impeditur ab exsecutione alterius, etc., una impedit aliam, etc. Si concurreret jurisdictio episcopalis cum jurisdictione abbatis super monachos, impediret jurisdictionem abbatis et diminueret, quia qui subditur duobus, nullius obedientiæ ad plenum subjicitur. Secundo arguitur ex eodem sic : quia illud, quod dat occasionem subditis religiosis minus prompte obediendi patri monasterii, est nocivum bono obedientiæ debitæ illi patri. Sed jurisdictio episcopalis est hujusmodi ;... quia spes propinqui defensoris redderet religiosos subditos minus promptos obedire patri monasterii, quia*

(1) Comment. in Evang. et Act. Apost. lib. 12, tract. 19, tom. 12, pag. 122.

(2) Marini, Papiri diplomat. pag. 24.

(3) Tract. cit. pag. 121 et seq.

(4) Ap. Raynaldum, tom. 23, pag. 574.

passim per appellationes qualescumque possent evadere manus ejus. Sed hoc est reddere religiosos ad obedientiam eis debitam minus promptos. Hactenus anonymus ille. Quibus addimus cum Salmerone (1) exemptionis abolitionem fore scaturiginem litium innumerarum inter monachos et episcopos seu clericos : quas siquis cupiat, e castris Christi Domini expellendum esse monet archiepiscopus Mechliniensis Humbertus a Præcipiano (2).

Tolle regularium exemptionem : quid deinde? Obtinebit jus commune (3), quo jubetur *hoc tantum sibi in monasterio vindicent sacerdotes quod præcipiunt canones, id est monachos ad versationem sanctam premonere, abbates aliaque officia instituere, atque extra regulam facta corrigere. Quod si aliquid in monachos canonibus interdictum præsumpserint, aut usurpare quidpiam de monasterii rebus tentaverint, non deerit ab illis sententia excommunicationis.* Atqui nihil nunc obstat quin episcopi regulares exemptos ad conversationem sanctam præmoneant et adhortentur. Abbatum autem aliorumque officialium institutio tanti non est, quum de jure communi libera abbatum seu superiorum electio penes monachos et officialium designatio penes abbates aut superiores sit. Correctio autem peccatorum, quam visitandi jus, supplendi negligentiam prælatorum et admittendi appellationes consequitur, in singularibus monasteriis disciplinæ conservandæ inservire potest ; sed hoc idem emolumentum in ordinibus seu congregationibus religiosis multo facilius certiusque a superioribus majoribus procurabitur. Cluniacenses utique, quibus tot monasteria ab ipsis abbatibus, episcopis et Romanis pontificibus concredita fuerunt reformanda, multo melius hoc officio functi sunt quam illi umquam episcopi. Neque minus recte idem factum in tot aliis monasteriis monachorum et maxime canonicorum regularium, quibus placuit in congregationes coire.

7 Quum itaque a communi gubernio congregationumque institutione tanta bona profecta sint et tot locis disciplina re-

(1) Tract. cit. pag. 123.
(2) Ap. de Ram, Synod. Belg. tom. 2, pag. 416.
(3) Cons. XVIII, q. 2, cp. 1. *Hoc Tantum.*

gularis restituta, nil mirum si concilio Tridentino, quod in reformandis monasteriis tam felicem operam posuit, visum sit nihil opportunius a se fieri posse quam monasteria ad congregationum formam adigere. Quapropter sessione XXIV, capite VIII, de regularibus et monialibus, hoc decretum edidit : *Monasteria omnia, quæ generalibus capitulis aut episcopis non subsunt, nec suos habent ordinarios regulares visitatores, sed sub immediata sedis apostolicæ protectione ac directione regi consueverunt, teneantur, infra annum a fine præsentis concilii, et deinde quolibet triennio sese in congregationes redigere, juxta formam constitutionis Innocentii III in concilio generali, quæ incipit :* IN SINGULIS ; *ibique certas regulares personas deputare; quæ de modo et ordine, de prædictis congregationibus erigendis, ac statutis in eis exsequendis deliberent et statuant. Quod si in his negligentes fuerint, liceat metropolitano, in cujus provincia prædicta monasteria sunt, tanquam sedis apostolicæ delegato, eos pro prædictis causis convocare. Quod si infra limites unius provinciæ non sit sufficiens talium monasteriorum numerus ad erigendam congregationem, possint duarum, vel trium provinciarum monasteria unam facere congregationem. Ipsis autem congregationibus constitutis, illarum generalia capitula, et ab illis electi præsides vel visitatores eamdem habeant auctoritatem in suæ congregationis monasteria ac regulares in eis commorantes, quam alii præsides ac visitatores in ceteris habent ordinibus : teneanturque suæ congregationis monasteria frequenter visitare, et illorum reformationi incumbere, et ea observare quæ in sacris canonibus, et in hoc sacro concilio sunt decreta. Quod si etiam, metropolitano instante, prædicta exsequi non curaverint ; episcopis, in quorum diœcesibus loca prædicta sita sunt, tanquam sedis apostolicæ delegatis, subdantur.*

Statuere poterat concilium exempta monasteria visitatum iri ab episcopis tamquam sedis apostolicæ delegatis, non exempta ab episcopis ordinaria auctoritate ; sed, ut ex decreti forma manifestissimum est, longe majorem spem in visitatione præsidum congregationum reponebat, et propterea eas institui volebat, nec ad episcopos recurrebat, nisi congregationes et visitationes omitterentur.

Jam si a superioribus proximis aut visitatoribus ad episco-

pos appellare possint regulares dyscoli, quantæ perturbationes, quantum obedientiæ detrimentum, quanta superioribus injecta formido ! Ne in appellationum ambages deveniant, satius forte ducent superiores quorumdam delicta non punire, aut ingrata eis non imperare quam auctoritatem suam tanto dispendio exserere. Non enim heroica constantia ab omnibus exspectanda est. Utique in religiosis ordinibus omnibus aliquando superiores iniqui sunt, aliquando negligentiores, imbecillitate tamen sæpius humana quam pravitate voluntatis. Sed quæ in his terris societas ab abusibus vacua est? Quis numquam errat aut peccat superior? Lege libros S. Bernardi de Consideratione aut de Officio episcopi : non modo episcoporum palatia, sed ipsam curiam Romanam vitiis suis non carere cernes. Sed quoniam decipiuntur errantque aliquando episcopi atque ipsi Romani pontifices, estne admirationi locus? estne cohibenda eorum auctoritas et remittendum aliquid de obedientia eis debita? Profecto, non; sed toleranda necessaria hæc mala christiana patientia. Similiter religiosi si justas habent conquerendi de superioribus suis causas, eadem illa virtute se arment oportet. Quum enim obedientiam professi sunt, satis noverunt sibi reliquum vitæ tempus non obediendum fore angelis sanctisve in gratia divina confirmatis, sed hominibus quos necesse est quotidie sacrificia pro peccatis suis offerre ; hanc nempe obedientiæ suæ fore laudem, quod a multis molestiis immunis non sit. Quapropter voluerunt omnes religiosorum ordinum fundatores ut novitiis (quemadmodum loquitur S. Benedictus) *prædicentur dura.* Absit ut justitiam a monasteriis exsulare posse aut debere dicam ! Sed justitia ordinis sui contenti sint religiosi. Errat utique hæc aliquando; sed non ideo supprimenda est, quoniam in his terris justitia nulla ab omni errore secura est. Quid nonne fallentur facilius episcopi, religiosos quotidiano usu non cognoscentes aut nullam vitæ religiosæ experientiam habentes, quam superiores regulares?

Sed ex his sequetur ne ad Romanas quidem congregationes et tribunalia viam aperiendam esse regularibus. Quid ergo ? Utique hæc ut claudatur prorsus non suadeo. Sed ipsa sancta sedes, uti et omnia gubernia civilia, numquam voluit appellationes esse faciles, et temeras semper repressit; et imprimis regularium ap-

pellationes expedite numquam admisit. Quid, quod Societati Jesu concessit ut nemini liceret extra ordinem appellare? Quod privilegium impetravit ipse S. Ignatius a Paulo papa IV, qui, quum potiores partes in instituenda Theatinorum religione habuisset, experientia noverat quænam ad disciplinam conservandam necessaria sint. *A correctione regulæ societatis hujusmodi,* inquit (1), *secundum ordinationes factæ (ut vigor disciplinæ melius conservetur) appellari aut talis appellatio per ullum judicem admitti... non possit.* Sed jam pridem ante aut etiam post idem aut simile privilegium concesserunt alii Romani pontifices canonicis S. Salvatoris, Benedictinis S. Justinæ, Olivetanis, Camaldulensibus, FF. Prædicatoribus, Cisterciensibus Lusitanis aliisque sive directe sive per communicationem, adeo ut quasi communis regularium lex sit *nemini licere ab institutis, ordinationibus, correctionibus et mandatis congregationum generalium aut aliorum superiorum ad quemcumque, etiam ad summum pontificem et sedem apostolicam, nisi de speciali summi pontificis licentia appellare ; appellationesque desuper pro tempore interpositas et inde secuta irrita haberi ; et judices districte prohibitos appellationes hujusmodi recipere aut illas cognoscere sub pœna excommunicationis* (2). Quodsi repagula et impedimenta appellationibus ad sedem apostolicam opponenda visa sunt *ut vigor disciplinæ melius conservetur,* quanto magis reprimendæ sunt appellationes ad curias episcopales ?

Et quum ii etiam, quibus instituta Societatis Jesu non omnino placent, non possint non fateri ejus gubernii rationem ita esse temperatam ut abusus facile exstirpentur, delicta non impunita sint et disciplinæ nervus integer maneat, liceat singulare præceptum ex ejus legibus producere. Scilicet in virtute sanctæ obedientiæ vetuit Mutius Vitelleschi, præclarus præpositus generalis, (quod præceptum, prius ad aliquot provincias missum, dein congregationes VIII, IX et X ad omnes extenderunt et accuratius interpretatæ sunt) *ne quis procuraret externorum intercessiones, quæ superiores impediant aut saltem difficilem eorum reddant gubernationem, quo minus pro suo judicio et voluntate*

(1) Bulla *Licet debitum,* Institutum Soc. Jesu, tom. I, pag. 15.

(2) Cfr Privilegia. Soc. Jesu, v. *Appellatio.*

juxta Societatis institutum de rebus et personis sibi subjectis disponant (1). Quas intercessiones *pestem pro tota Societate* appellavit congregatio X; cujus vestigiis insistens congregatio XVI hoc gravissimum decretum tulit (2) : *Ut omnes nostri a procurandis externorum patrociniis (quæ religiosæ disciplinæ et obedientiæ pestis est) magis absterreantur, statuit congregatio ut peccatum, quo violaretur præceptum de non procurandis externorum intercessionibus nostris impositum, in posterum superiori reservetur atque ita inter casus reservatos recenseri jussit.* A patre Oliva (3) *excipiuntur tamen intercessiones eorum, qui ratione universalis regiminis in ecclesia etiam in Societatem Jesu habent auctoritatem*; quamquam ratio habenda est formulæ instituti a Julio papa III approbatæ, qua votum de obeundis qualibuscumque missionibus pontificiis explicatur; ubi et hæc leguntur : *Ne qua autem possit esse inter nos missionum aut provinciarum hujusmodi ambitio vel detrectatio, intelligant singuli sibi per se vel alium de hujusmodi missionibus quidquam cum Romano pontifice non esse curandum; sed omnem hanc curam Deo, et ipsi pontifici tamquam ejus vicario, et Societatis præposito dimittendam cui quidem præposito, sicut cæteris, nihil de sui ipsius missione in alterutram partem, nisi de Societatis consilio, cum dicto pontifice curandum erit.* Fac itaque nullas amplius esse exemptiones; patere palatia episcopalia querelis, appellationibus, ambitioni inferiorum; episcoporum aut vicariorum implorari auxilia, *religiosæ disciplinæ et obedientiæ pestem*, intercessiones nempe externorum quæ superiores impediant aut saltem difficilem eorum reddant gubernationem, in monasteria omnia introduxeris. Certe hæc non est laudabilis reformatio, disciplinæ monasticæ restitutio, auctoritatis superiorum confirmatio, his temporibus, quum nulla fere amplius externa coactio adhiberi potest, magis quam umquam necessaria.

8 Quum itaque regularium exemptio nequaquam aboleri possit, quin universa ordinum aut congregationum constructio labefactetur aut dissolvatur, quin superiorum enervetur auctoritas et dyscolorum protervia foveatur, quin dissidia et multa alia seminentur gravissima incommoda, facile patet nequaquam id utile

(1) Institutum Soc. Jesu, tom. I, pag. 616, 629, 637, tom. II, pag.

(2) Ibid. tom. I, pag. 682.

(3) Ibid. tom. II, pag. 6.

fore monasteriorum reformationi, sed perquam noxium. Nedum superiorum potestas minuenda, impedienda aut turbanda sit, augenda potius est et roboranda. Neque proficiscuntur infirmitates, quibus forte aliquæ laborant religiosæ familiæ, a nimio superiorum imperio, sed potius a nimia facilitate in cooptandis instituendisque tyronibus, vel etiam indiligentia in literariis promovendis studiis. Idque satis aperte indicat sanctissimus Dominus Pius IX, quum, die 17 Junii anni 1847, omnes supremos regularium ordinum moderatores quo magis subditos in vocatione, qua vocati sunt, digne ambulare satagant, hisce adhortatur verbis : *Cum autem ex diligenti tironum admissione, atque optima illorum institutione totius cujusque sacræ familiæ status decorque plane pendeat, Vos summopere hortamur, ut eorum, qui religiosæ vestræ familiæ nomen daturi sunt, indolem, ingenium, mores antea accurate exploretis, ac sedulo investigetis quo consilio, quo spiritu, qua ratione ad regularem vitam ineundam ipsi ducantur. Ac postquam noveritis illos in religiosa vita amplectenda nihil aliud spectare nisi Dei gloriam, Ecclesiæ utilitatem, ac propriam et aliorum salutem, in id potissimum omni diligentia, cura, industria incumbite, ut tirocinii tempore ex proprii ordinis legibus pie sancteque ab optimis magistris educentur, et ad omnem virtutem, atque ad initum regularis vitæ institutum quam optime informentur. Et quoniam præcipua atque illustris regularium ordinum laus semper fuit litterarum studia excolere, fovere, ac tot eruditis, doctis laboriosisque operibus humanarum divinarumque rerum scientiam illustrare, iccirco vos summopere excitamus, monemus, ut juxta vestri Ordinis leges cura, sollertia rectam studiorum rationem promovere, et omnia conari velitis, ut religiosi vestri alumni in humaniores litteras, ac severiores disciplinas præsertim sacras addiscendas constanter incumbant, quo ipsi optimis sanisque doctrinis apprime exculti, et proprii muneris partes, et sacra ministeria religiose sapienterque obire valeant.* Ab hac utique reformationis norma plus sperandum est quam ab exemptionis abolitione.

9. Quum autem a recte institutis gubernatisque ordinibus religiosis innumera proficiscantur bona, quum inde populus ac-

cipit ædificationem spiritualem maximam, quum diligentes indefessique inde prodeant in vineam Domini operarii, nemo non videt *utilitatem* Christi *fidelium* ex exemptione regularium etiam consequi; cui rei enarrandæ, de qua legi potest Fellerus (1), diutius insistendum non videtur.

10. Ad comprobandam demum exemptionum utilitatem invocat Gregorius XVI *hæreticorum et incredulorum in exemptiones odium.* De odio isto jam satis superque diximus, quum ostendimus adversarios sanctæ sedis id semper molitos fuisse, ut exemptiones tollerentur. Quanti vero ponderis sit argumentum istud hi noverunt, quibus compertum est quam prudentes sint filii tenebrarum in sua generatione, adeoque prudentiores filiis lucis.

(1) Congrès d'Ems, pag. 144 et seqq.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

De objectionibus aliquot fieri solitis adversus exemptionem et privilegia regularium.

1. Multæ objectiones veteres ita protritæ sunt ut ne memorari quidam mereantur.
2. Inepte objicitur privilegia hac ætate odiosa esse.
3. Opere majorem auctoritatem habent episcopi in regulares exemptos quam in sæculares beneficiarios.
3. Omne sacrum ministerium regularium, qui multo pauciora jura habent quam clerus sæcularis, pendet fere ab episcoporum arbitrio.
5. Absurde dicuntur regulares esse statum in statu.
6. Necesse est ut episcopi scandala (siqui religiosi dent) a populo avertere possint. Sed jam pridem eis hæc potestas facta est.
7. Exemptiones perperam dicuntur adversari juri communi.
8. Non rectius dicuntur inimicæ ordini hierarchico.
9. Jus episcoporum nullum violatur.

Supersedemus confutandis objectionibus, quæ sæpius adversus exemptionem et privilegia regularium motæ fuerunt, quæque jam pridem plane contritæ jacent. Suffecerit indicasse Jacobum, Abbatem Cisterciensem (1), scriptorem anonymum Memorialis pro Mendicantibus (2), Pallavicinum (3), Salmeronem (4), Zaccariam (5), Ladislaum Stappel (6), Anfossi (7), cardinalem Gerdilium (8) et cæteros, qui nihil de eis integrum reliquerunt : quos scriptores ideo consulendos indicamus, ut, sicui liberet

(1) Raynaldus, ad annum 1312, num. 24, tom. 23, pag. 563 et seqq.

(2) Ibid. pag. 567 et seqq.

(3) Hist. concil. Trid. lib. 8, cap. 17, num. 11 et seqq. tom. 1, pag. 291; lib. 12, cap. 13, num. 8, tom. 2, pag. 127, etc.

(4) Comment. in Evang. et Act. Apost. lib. 12, tract. 19, tom. 12, pag. 123 et seqq.

(5) Antifebronius, cap. 7, § 8, tom. 4, pag, 272 et seqq. sed maxime Antifebronius vindicatus, dissert. 10, cap. 4, num. 5 et seqq. ap. Migne, Cursus compl. Theol. tom. 27, col. 1173 et seqq.

(6) De genuino statu Eccles. contra Febronium, part. 3, § 10, cap. 7, tom. 1, pag. 241.

(7) Difesa della bolla *Auctorem fidei* tom. 2, pag. 64, et seqq.

(8) Confutazioni di due libelli contre il breve : *Super soliditate*, tom 1, pag. 32, edit. 1789.

Thomassini, Launoyi vel Espenii renovare difficultates, prius attente consideret responsa ne quod actum est agere cogamur.

Verum si inutile arbitremur hæc prisca et dudum sepulta adversariorum argumenta exhumare, ex altera parte necessarium omnino videtur præcipuas novas, quæ interdum audiuntur, difficultates ad examen revocare,

2 Objicitur itaque primo *privilegia hac ætate odiosa esse.* Quantum hæc assertio ad rem politicam pertinet, neque affirmare eam neque negare nobis lubet. Sed id solum animadvertimus, nempe vocabulum *privilegium* esse maxime ambiguum, ut notat de Marca (1). Eo enim nuncupatur primatus Romanorum pontificum, jura patriarchalia, metropolitana, adeoque, quas vocant, libertates ecclesiæ Gallicanæ (2); tribuitur etiam istud nomen aliquibus beneficiis et favoribus, quæ summi principes privatis hominibus concedunt; eo designantur honores et munera, quæ certum hominum genus supra alios extollunt; demum *privilegia,* inquit S. Isidorus Hispalensis (3), *sunt leges privatorum, quasi privatæ leges;* et hoc postremo sensu intelliguntur privilegia regularium, non secus ac specialia jura pupillorum, militum, aliorumque in lege civili et canonicorum, parochorum, vicariorum aliorumque in lege ecclesiastica. Quid autem odii insit aut inesse possit huic privilegiorum generi prorsus non videmus. Nequaquam enim regulares attolluntur per sua privilegia supra clerum sæcularem; sed privatæ leges, quas in eorum gratiam tulit pontifex aut ecclesia, eæ sunt ut eorum jura et prærogativæ multo minora sint quam cleri sæcularis. Permittente aut approbante episcopo, concionari et confessiones excipere possunt regulares; missæ sacrificium offerunt et communionem distribuunt fidelibus; sed hæc omnia quoque faciunt clerici sæculares et multo plura, quæ regularibus absque speciali episcopi aut parochi licentia interdicta sunt ; quæ inter veniunt baptismi collatio, extrema unctio, viaticum, benedictio nuptiarum, adeoque (quum in nullis fere ecclesiis amplius sepelire non liceat) funerum celebratio. Præterea, ubi clerici sæculares et

(1) De concordia sacerd. et imper. lib. 3, cap. 1, num. 8, tom. 2, pag. 11. et seq. edit. Bambergens 1788.

(2) Ibid. loc. cit.

(3) Orig. lib. 5, cap. 8.

regulares in unum convenire debent ex lege ecclesiastica, honoratior locus competit sæcuralibus; hi insuper populum sibi in spiritualibus subditum habent, nequaquam vero regulares; quotannis pensionem accipiunt sæculares a multis guberniis, ne obolum quidem regulares; verbo in paucis pares sunt regulares sæcularibus, in plerisque multo inferiores, Et tamen odiosa dicerentur regularium privilegia ! quæ nomen quidem rei, quam nonnulli aversantur, retinent; nequaquam vero sunt hæc ipsa res.

3. Cæterum errat profecto multumque, qui arbitretur regulares exemptos proxime et omni modo uni sedi apostolicæ subjectos esse. Insignem in eos habent auctoritatem episcopi, qua ordinarii et qua delegati summi pontificis : quam siquis recogitare velit et cum jurisdictione, quam episcopi in canonicos, parochos aliosque clericos exercent, comparare, nullus dubito quin fassurus sit latius eorum patere auctoritatem in regulares exemptos quam in beneficiarios diœcesanos. Utique non possunt eadem, sed possunt alia et plura. multoque majori libertate. Verum inde quorumdam oriuntur querelæ, quod jura sua in regulares exemptos considerare aut usurpare prætermittunt. Et quidem Erasmus a Chokier in tractatu de jurisdictione ordinarii in exemptos et Lucius Ferraris in Bibliotheca canonica, v° *Regulares*, plus centum enumerat casus, in quibus regulares episcopis subditi sunt; eos ad pauciores redegit Fagnanus, (1) ipse tamen ultra quadraginta referens; similiter Cherubinus Mayr longum ex eis texuit elenchum. Appendicis loco attexemus ad finem catalogum Ferrarii.

Merito itaque admonuit Zaccaria(2) Febronium, ne amplius sibi illud excidere pateretur : *monachos ab omni episcoporum jurisdictione exemptos esse.* Talia quidem, quæ nunc etiam ex imprudentibus interdum labiis excidunt, valere possunt ad invidiam conflandam regularibus apud episcopos, sed a veritate

(1) In part. 2 Decretalium de Off. ord. cap. *Grave.*

(2) Antifebronius vindicatus, diss. 10, cap. 4, num. 2, ap. Migne, Cursus theolog. complet. tom. 27, col. 1165.

prorsus abludunt. Multo aptius Franciscus Fontanus concionator regius in *Responsione ad quæsita cujusdam primarii prælati circa hierarchiam ecclesiasticam, utrum episcopi aliique prælati recte et utiliter regulares in subsidium animarum advocent admittantque,* reverendissimos dominos episcopos alloquitur : *Quid,* inquit (1), *magnitudini regularium inest quod vel animum vel oculos vestros possit offendere, qui, etsi centies essent majores quam de facto essent, tamen eos, quoties vobis lubitum est, ad pedes vesteos abjectos videbitis? Concionandum est? ad pedes vestros prostratos habetis. Sacri ordines suscipiendi? en ad vestros pedes supplices cernitis. Petenda est potestas confessiones audiendi intra vestram diœcesim? iterum jacent ad vestros pedes. Necessaria est aliqua extraordinaria et peculiaris facultas ad absolvendum a casibus vobis reservatis? iterum ad vestros se projiciunt pedes. Iis ad vestras reverendissimas dominationes accedendum vel ab iisdem recedendum est? continuo ad vestros se pedes prosternunt. Quæ quum ita se habeant, timerine potest ne ii, qui fere continuo cum omni humilitate ante oculos et pedes vobis adsunt, vobiscum de magnitudine velint competere et concertare, vel certe animo designatum habeant vestram eminentiam deprimere, quum, inclinato ad vestros pedes capite, in singula momenta vestrum nutum exspectent?* Et quidem jam pridem animadversum fuit regularium privilegia ita fuisse a Concilio Tridentino secutisque Pontificibus temperata, ut ad id unum valeant ne malevoli episcopi ordines destruant eorumve finem faciant irritum, et ut, deficientibus episcopis, pontificia auctoritas et catholica fides cum minori formidine ab illis propugnetur; quum vero episcopi sedulo suas peragunt partes, immunitates et favores pontificis nullius usus esse. Quocirca cardinalis Bathianus, Hungariæ primas, qui cum Cardinali Franckenbergio, archiepiscopo Mechliniensi, omnium acerrime novitatibus Projectistarum, quos vocabant, restitit, exponens Josepho II rationes, ob quas integra servanda sunt regularium privilegia : *Huc accedit,* inquit (2), *quod concessæ*

(1) Pag. 128 ap. Zaccariam, Antifebr. vindic. col. 1177.

(2) Demissa expositio card. Bathiain, etc., ap. Lettres de N. S. P. le Pape et de Sa Majesté, pag. 42, et ap. Roskovany, Monum. cathol. pro independ. potest. eccles. tom. 1, pag. 520 et seq. Quinque ecclesiis, 1847.

regularibus exemptioni nos omnes, qui etiam concilio Tridentino præsentes non aderamus, consenserimus. Quomodo nunc reprobabimus citra ullam causam, quod tunc non sine gravissimarum causarum intuitu approbaveramus, non quidem nos ipsi, qui modo sumus, sed qui tunc loco nostri et quorum nunc loco sumus? Nec dignetur majestas vestra sacratissima illud gravius ferre aut interpretari, quod dicam nullam gravem mihi videri subesse causam, cur religiosi ordines ordinariis locorum quoad omnia subjecti esse debeant. Disciplina enim domestica et interna, RELATIVE AD QUAM UNICE FERE EXEMPTI ERANT A JURISDICTIONE EPISCOPORUM, *non... quomodo præjudicare possit jurisdictioni episcoporum... video.*

4 Verissime hæc dixit Bathianus. Universum enim ministerium sacrum regularium, quod extra disciplinam domesticam solum in quæstionem venire potest, in arbitrio episcoporum est. Ut omittam paucas parochiales ecclesias quæ adhuc penes eos sunt et in quibus idem fere possunt episcopi quod in parochiis sæcularium, excluduntur regulares a collatione baptismatis, viatici, extremæ unctionis et benedictione nuptiarum; neque in illis ullam partem habere possunt absque licentia parochorum aut episcoporum; confessiones laicorum et monialium eis audire non licet absque approbatione episcoporum; in administranda eucharistia aliisque sacramentis subsunt episcopis; in celebrandis festis non minus eis parere debent; concionari non possunt extra sua templa absque benedictione episcoporum; neque intra illa adversus eorum prohibitionem; itemque in sodalitatum, confraternitatum et congregationum directione pendent fere ab episcoporum voluntate. Atque ab his omnibus amovere eos possunt episcopi quasi pro libitu, dum contra nihil fere possunt adversus canonicos, parochos aliosque beneficiarios absque forma judiciali; qua quantum impediatur eorum potestas ipsimet omnium optime norunt. Re quidem vera rationabiliter auctoritate sua in regulares uti debent, et, si ea abutantur, recursus patet ad sacras congregationes Romanas; sed hujus timore parum restringitur illorum libertas.

Quum itaque in his omnibus regulares episcopis obnoxii sint, suntne saltem reipsa integra pauca quæ regularibusa adhuc

asserta sunt jura? Ex uno exemplo judicium feratur. Constitutione *Inscrutabili* Gregorius XV et constitutione *Superna* jussit Clemens X regulares in his saltem quæ ad administrationem sacramenti pœnitentiæ pertinent parochis æquiparari, adeoque generaliter et indefinite approbari qui generaliter idonei reperti fuerint. Omnesne, quæso, episcopi hujus præcepti rationem habuere? Nonne sunt qui doctissimos et eruditissimos regulares vix ad duos aut tres annos approbent, aut si præclare benevolentiam suam exserere velint, usque ad revocationem? Nonne nonnulli (nefas dictu) conati sunt regulares infra clerum sæcularem deprimere, eorum zelum infringere eosque nonnisi subsidiariorum loco tenere, licet tot pontifices, tot concilia, tot sancti viri omni tempore docuerint dignius rectiusque sacrum ministerium a regularibus administrari (1)? Hæc certe aliquibus locis justissima regularium querela est a se pueros in catechesi auctoritate episcoporum doctos fuisse quam præclara sint consilia evangelica, quanta felicitas in eis amplectendis consistat, quantam mercedem eis Christus addiderit; sed, ut primum ea professi sint in ordinibus a sancta sede approbatis, hostilem se experiri episcoporum clerique sæcularis animum; qui, nedum aspirent, continuo suis laboribus obsistant. Pauci utique et in dies pauciores episcopi adversus regulares malevoli sunt; sed sunt eruntque semper, atque horum arbitrio permissum pene est omne spirituale illorum ministerium. Nedum itaque hac parte augenda videatur episcoporum potestas, cohibenda potius et restringenda est, siquid mutandum sit; quamquam nesciam mutationem aliquam regularibus in votis esse.

5 Objicitur dein *regulares per suam exemptionem esse statum in statu*. Equidem fatemur tolerari non posse ut status sit in statu; sed quid sit statum in statu esse, probe intelligatur oportet: impii scilicet et politici maxime his dictis adversus ecclesiam abusi sunt ut eam subderent civili ditioni. Porro status dicitur esse in statu, quum duæ distinctæ potestates *eisdem* subditis *de eadem re* præcipere possunt absque mutua inter se subordi-

(1) Cfr Examen historicum et canonicum, pag. 400 et seqq.

natione ; adeoque, licet episcopus et rex iisdem incolis præcipere possint, quum tamen secundum distinctionem, a Christo positam, Cæsari reddendum sit quod est Cæsaris et Deo quod est Dei, hinc fit ut status non sit in statu : similiter provinciæ alicujus gubernator et Rex eisdem subditis imperare possunt secundum leges, sed quoniam inter Regem et provinciæ gubernatorem intercedit subordinatio, status non est in statu ; contra status in statu foret, si duo principes par imperium in eosdem subditos deque iisdem rebus sortirentur. Jam confidenter quærimus ubi demum sit status ille in statu, quum regulares ab episcoporum jurisdictione in quibusdam rebus sunt exempti. Nonne potius ordinis illa perturbatio obtineret, quum regulares exempti non essent ? Unde enim innumeræ scaturiverunt illæ lites inter episcopos et regulares non exemptos ? Sane multo certius determinatæ sunt res, in quibus episcoporum potestas superior est auctoritate prælatorum exemptorum, quam casus in quibus Ordinarii jurisdictioni cedere debet auctoritas superioris non exempti.

6 Sed fac regulares publice peccent populoque fideli scandalo sint, et superiores regulares aut negligentia aut ignavia subditos suos non puniant. Hæccine ferenda sunt episcopis ? Licetne eis permittere ut per regulares vilescat religio et opprobrio afficiatur universus status ecclesiasticus ? Nequaquam : sed huic malo jam pridem remedium inventum ; quo si non utantur episcopi, culpam suam agnoscant necesse est. Concilium enim Tridentinum sessione 6, cap. 3, statuit : *Nemo regularis extra claustra degens, etiam sui ordinis privilegii prætextu, tutus censeatur, quominus, si deliquerit, ab ordinario loci, tamquam super hoc a sede apostolica delegato, secundum canonicas sanctiones visitari, puniri et corrigi valeat;* et sessione 25, cap. 14 de Regularibus : *Regularis non subditus episcopo, qui intra claustra monasterii degit et extra ea ita notorie deliquerit ut populo scandalo sit, episcopo instante, a suo superiore intra tempus, ab episcopo præfigendum, severe puniatur ; ac de punitione episcopum certiorem faciat, sin minus a suo superiore officio privetur et delinquens ab episcopo puniri possit.* Quidni hac sua potestate utuntur episcopi ? Non enim frustra eis con-

cessa est. Hanc ut exserant rogant boni regulares omnes et exspectat universa ecclesia. Quidni ea usi superioribus temporibus, sæculo maxime XVIII? Quodsi horrent huic rerum generi se implicari, (licet inde appareat quam importune exemptiones abolerentur ut non solum illis in casibus, sed in omnibus omnino eis subditi sint regulares), rem ad sedem apostolicam deferant, aut statim, si moræ locus non sit, aut in relatione triennali sive quinquennali de statu suæ diœcesis : remedium facile afferent sacræ congregationes Romanæ aut per superiores ordinis aut aliena opera.

Verum hac occasione referri (1) merentur quæ in Vita cardinalis Leandri Colloredi leguntur. *Quum scilicet aliquando cardinalis quidam ex sacra congregatione episcoporum et regularium, apud eum conquereretur de frequentibus delictis regularium, bonum et malum consideranda esse suggessit. « Si Eminentia Tua, inquit, interesset congregationi de propaganda fide, obstupesceret audiendo crebro narratu de gravibus incommodis, duris laboribus et cruciatibus quæ inter propagandam sanctam fidem in regionibus infidelibus et ad eamdem conservandam in paucis illic habitantibus catholicis continuo tolerant. Inter regulares plerumque Deus sanctos suos eligit, ut testis est sacra rituum congregatio, atque ego cui in hac congregatione sententia mihi dicenda est asseverare non dubito celebriores et numerosiores causas beatificationis et canonizationis proficisci ab ordinibus religiosis. » Inde oriebatur magna ejus de religiosis eorumque ordinibus existimatio, licet prima observantia non amplius vigeret; ita ut sine molestia audire non posset dicteria quorumdam, solitus dicere regulares honorandos esse, quoniam, etiamsi eis desint nova merita et laudes, in eis (quemadmodum in gentibus illustribus) observanda sunt merita et laudes majorum, cui ecclesia tantum debet.* Digna utique tanto ingenio sententia.

7 *Sed exemptiones adversantur juri communi.* Verum. si recte intelligatur quid sit jus commune, non probanda videtur hæc

(1) Puccetti, Vita del cardinale Leandro Colloredo, pag. 55.

assertio. *Jus commune,* ait Durand de Maillan (1). *est jus quod regit totam ecclesiam Occidentalem;* alii communissime intelligunt *Corpus Juris,* cui sane æquiparandum est Concilium Tridentinum et aliæ constitutiones perpetuæ pontificum; passim docet Fagnanus (2) *privilegium in Corpore Juris clausum jus commune facere inter nominatos, ut notat Glossa 4 cap. Constitutionem, de regul. eodem lib. et in Clement. Dudum, § Verum, in ver. De jure, de sepult. et apertius Joan. Andr. post Hostiensem in cap. Ex parte, il primo, num. 3, super ver. Cæteris. de Decim.* Exemptiones autem et exemptorum jura agnoscuntur et explicantur in Corpore Juris et in sequentibus conciliorum et pontificum perpetuis constitutionibus; pertinentque proin ad jus commune. Recogita insuper, lector, quæ alibi (3) diximus de vetustissima disciplina, qua licebat monasteria subjicere non tantum pontifici Romano, sed quibuslibet episcopis. Hi quidem hoc jus amiserunt, ast integra remansit illius prærogativa; quæ non magis adversatur juri communi, quam reliquus ejus auctoritatis usus. Quocirca recte ait Benedictus XIV (4): *Neque est cur quispiam de hisce conqueratur exemptionibus, aliisque adhuc amplioribus, quibus subinde regularium ordines fuere ab apostolica sede exornati : siquidem etiam patriarchæ Orientales pleno jure dominabantur in omnia sui exarchatus monasteria, etc.*

8. Objiciunt quoque regularium hostes *exemptiones esse hierarchiæ ecclesiasticæ inimicas, et per eas jus alteri auferri, scilicet auctoritatem suam Ordinariis.* Ad hæc cum Zaccaria (5) respondeo: *Etsi episcopi pontificis vicarii non sint, uti præfecti urbium ac provinciarum præsides regis vicarii habentur, ad summum tamen pastorem spectat, quemadmodum illorum ovilia aut coarctare aut amplificare, ita et oves eis assignare. Quid ergo vetat quominus harum aliquot sibi soli pascendas servet? Atqui hoc demum est quod pontifex facit, dum*

(1) Dict. du droit canon, v. *Droit commun.*

(2) Comment. in 2 part. lib. 1, decret. de Major. et obed. cap. *His quæ,* num. 35, tom. 2, pag. 506, et Comment. in 2 part. lib. 1, decret. de elect. cap. *Nihil,* num. 15, tom. 2, pag. 106.

(3) Vide supra, pag. 23 et seq.

(4) De Synod. diœces. lib. 1, cap. 4, num. 3, tom. 1, pag. 8, edit. Bassan.

(5) Antifebronius vindic. diss. 10, cap. 4, num. 2, ap. Migne Curs. theol. tom. 27, col. 1166.

regularium cœtus uni sibi subjectos esse edicit : oves illas minoribus pastoribus subtrahit, sibique supremo universarum ovium pastori regendas adsciscit. Neque vero id est episcoporum jura invadere. Nonne sæpe contingit ut in alicujus episcopi diœcesi aut etiam principe urbe alterius episcopi diœcesis sese exporrigat ? Sic Fæsulanus episcopus in Florentina ipsa urbe suæ diœceseos particulam habet : sic Ravennatensis archiepiscopus et Cerviensis episcopus in Ferrariensi urbe ac prope ejus mœnia parœcias sibi subjectas numerant : (sic olim episcopus Ultrajectinus ecclesiam habebat sibi subditam Brugis Flandrorum) (1). *Num propterea Florentinus aut Ferrariensis archiepiscopus* (et olim episcopus Tornacensis) *sua lædi jura conqueretur ? Minime vero. Id enim ad diœceseos designationem, quæ superioris juris est, omnino pertinet. Sed exemplum profero multo ad rem nostram accommodatius. Parochi intra parœciarum suarum fines unum aut alterum, aliquando plura, sanctimonialium cœnobia habent ; fac illos de episcopis queri, quod illa ab ipsorum regimine avulsa aliis sacerdotibus in omnibus, quæ ad sacramentorum administrationem ac spiritualem gubernationem pertinent, regenda tradant. Ridebuntur sane ; neque injuria. Quum enim episcopi sint omnium intra diœcesim ovium ordinarii pastores, ita gregis sui portionem parochis custodiendam credere possunt, ut ex illa ipsa aliquot oves demant, quas vel ipsi per se, vel per alios pascant. Quidni igitur id ipsum supremo christiani ovilis pastori liceat, quin inferiores pastores illatam sibi suoque muneri injuriam doleant.* Jam pridem antea similia docuerat S. Thomas his verbis (2) : *Dicendum quod præjudicium dicitur fieri alicui, quando subtrahitur ei aliquid, quod in favorem ejus est indultum, vel quod ad utilitatem ejus ordinatur ; sed subjectio alicujus subditi ad rectorem ecclesiæ non est ordinata principaliter ad utilitatem præsidentium, sed ad utilitatem subditorum : et ideo nullum præjudicium fit rectori, quando subditus ejus a sua potestate eximitur ; sicut papa eximit abbatem a potestate episcopi sine ejus præjudicio. Si autem ipsemet operetur*

(1) Miræus, Oper. diplom. et hist. supplem. cap. 28, tom. 2, pag. 949, edit. Foppens.

(2) Contra impugantes relig. cap 4, ad finem, Opusc. 19, pag. 256, Parisiis, 1634.

in subditis quæ pertinent ad salutem, vel aliis hoc ipsum committat, non solum non facit præjudicium, sed præstat ei maximum beneficium ; quod maxime acceptatur a cunctis rectoribus, qui non quærunt quæ sua sunt, sed Jesu Christi. Hæc Angelicus Doctor contra impugnantes religionem : similia habet, commentans Magistrum Sententiarum (1). Hactenus de *jure, quod alteri aufertur,* deque *exemptionibus hierarchiæ ecclesiasticæ inimicis.*

9 Sed dabitur, ni fallor, jus episcoporum non magis a pontifice auferri vel violari per monasterii exemptionem, quam jus parochorum, quum episcopi eorum jurisdictioni subtrahunt monialium monasteria · ast contendent forte adversarii episcopis tamen *suam auferri auctoritatem.* Ad hæc respondemus distinguendum esse duplex monasteriorum exemptorum genus ; alia subdita fuere episcoporum jurisdictioni a fundatione sua et dein libertatem adepta fuerunt, alia a fundatione sua fuerunt libera libertate Romana. Per priorum exemptionem ordinariis sublatam fuisse in ea loca auctoritatem suam manifestum est, et libenter fatemur. Sed hinc nullum eis natum est præjudicium, ut docet S. Thomas ; *sed maximum eis præstitum beneficium quod maxime acceptatur a cunctis rectoribus, qui non quærunt quæ sua sunt, sed Jesu Christi.* Per posteriorum exemptionem nulla eis ablata fuit auctoritas, siquidem nullam in ea umquam habuerunt episcopi : quæ paulo fusius explicanda videntur. Episcopi scilicet non habent jurisdictionem *in territorium,* sed *ratione territorii* in Christi fideles et res sacras (2) ; eisque est jurisdictio in civitatem, quæ coalescit ex omnibus civibus alicujus diœcesis et quæ nomen suum mutuatur a situ ecclesiæ cathedralis. Porro monasteria, libera a sua fundatione, antea vel agri erant vel domus privatæ, in quas (quum res sacræ non essent) nullam episcopi habebant jurisdictionem ; quum vero res sacræ factæ sunt, continuo transierunt sub unam jurisdictionem Romani pontificis ; unde hæc monasteria valde improprie *eximi* dicuntur *ab auctoritate episcoporum.* Sed audio : hæc

(1) In lib. 4, dist. 17. quæst. 3, art. 3, quæst. 4, ad 1.

(2) Cfr Breve Pii VI *Quod aliquantum*, Collect. Brev. tom. I, pag. 95.

quidem, quum manifestissima sint, non negabuntur; sed opponetur, hinc tamen minui territorium, ratione cujus episcopus jurisdictionem suam exercet, aliosque Christi fideles in locis, ubi habitant regulares exempti, domos sibi ædificare posse, in quarum incolas auctoritatem haberet episcopus. Non hodie natæ sunt hujuscemodi querelæ, sed similes jam confutandas habuit S. Bonaventura (1); quocum respondemus id nihil ad rem facere: quum liberum foret unicuique, si abesset monasterium exemptum, ibi theatrum construere et domos Judæis locare aut vendere; in quos nulla etiam esset episcopis jurisdictio. Adeoque omnium maxime objurgandi forent reges et principes, qui tot agros domibus ædificandis aptos occuparunt, quum canales fodiendos et vias, tum ferreas tum lapideas, sternendas decreverunt. Similia dixerim de imminutione fidelium, qui secus episcoporum jurisdictioni subessent. Quis enim non rideat illum qui dixerit præjudicium illatum esse auctoritati episcopali, quod aliqua hominum caterva transivit in Americam vel in vicinam diœcesim ? Si de servis ageretur, qui res domini sunt, id quidem intelligeretur : sed nulla lex neque divina neque humana glebæ territorii diœcesani revinxit Christi fideles. Sed satis de nugatoria illa auctoritatis imminutione.

(1) Libell. apologet. in eos qui ordini FF. Minor. adversantur, quæst. 10, tom. 5 Opp. pag. 710, Venet. 1754.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

De cogitato quodam ordinum religiosorum regimine.

1. Nova quædam ordinum religiosorum æconomia, a paucis aliquot cogitata.
2. Imaginaria est et nequaquam possibilis, aut umquam tentata.
3. Brevi dissolverentur monasteria, si episcopi eis præessent.
4. Neque iis permittenda res temporalis regularium.
5. Si quid mutandum, nonne possent postliminii jure restitui regularibus redivivis pristina sua templa?

Licet hujusmodi nugæ a regularium adversariis adduci soleant ut exemptiones tollendas esse persuadeant, his tamen minime decipi arbitrarer paucos aliquot episcopos, de quorum sententia dicendum jam est, si non præ se ferrent speciem quamdam pietatis. Quos episcopos Belgas non esse (ex eis enim nullus talia umquam cogitavit) denuo hoc loco monendum videtur, ne quis, quoniam hic liber a Belga conscriptus est, hanc eis calumniam impingat. Sed quicumque illi sint, seu quæcumque illorum sit patria, quum scilicet testes sint bonorum quæ ab ordinibus religiosis proficiscuntur, eos deletos nequaquam volunt; contra æstimant utilitatem illorum fore majorem si sibi omnino subsint.

Cogitatione res ita disponunt ut ipsimet non solum ordinariam jurisdictionem exerceant, sed superiores regulares sint, multo majori auctoritate utentes quam nunc habent abbates, provinciales, guardiani, rectores aliique præpositi cœnobiorum. Ipsis fiet votum obedientiæ; ipsi designabunt superiores aliosque officiales; ipsi singulis inferioribus sua assignabunt munera, alios ad scholas, alios ad pulpitum, alios ad pœnitentiæ tribunal, alios denique ad officia domestica destinantes. Ita demum fiet, ut quamquam parum aut nihil de suo ad domorum fundationem contulerunt, sed religiosi eas fundarunt partim de suo patrimonio, partim de fidelium eleemosynis, et (ut nunc fere semper

fit) contracto ære alieno, omnium monasteriorum domini efficiantur. Si labore suo et parsimonia rem illi auxerint aut deinceps augebunt quid obstabit quominus episcopus augmentum, imo ipsam dotem, inde in extruendas ecclesias, aut fundandas missiones et scholas, insumat ?

2 Verum ante nuperrima hæc tempora hujusmodi reformatio nemini in mentem venit, quippe quæ pugnet cum antiquissimis ecclesiasticis legibus. Retulimus supra canonem ex S. Gregorii Magni desumptum literis et Corpori Juris insertum, quo definitur quæ possint et quæ non possint episcopi in monasteriis non exemptis; atqui ibidem (1) hæc leguntur : *Quodsi aliquid in monachos canonibus interdictum præsumpserint* (episcopi) *aut usurpare quidpiam de monasterii rebus tentaverint, non deerit ab illis sententia excommunicationis.* Sequitur deinde : *Abbas in monasterio non per episcopum aut per aliquem extraneorum ordinetur ;* quæ capitibus sequentibus apertius explicantur. Capite autem V veniunt sequentia. *Interdicimus igitur in nomine Domini Jesu Christi, et auctoritate beati Petri principis apostolorum prohibemus (cujus vice huic ecclesiæ Romanæ præsidemus) ut nullus episcoporum aut sæcularium ultra præsumat de reditibus, vel rebus, vel chartis monasteriorum, vel de cellulis, vel de villulis, quæ ad ea pertinent, quocumque modo, vel qualibet occasione minuere, vel dolos, vel immissiones aut violentias aliquas facere.* Quamquam vero hæc ita sint, quum per sanctæ sedis benignitatem jam a sæculo unicuique fere liceat novas inchoare congregationes, in quibus plerumque a jure communi receditur, quare nemo ex iis qui similia cogitant hactenus tentavit nova instituere cœnobia secundum principia adeo nova? Operæ pretium utique esset ut expensis suis experimentum facerent. Quod ubi fecerint, si appareat novas illas domos florere personarum numero, disciplinæ observantia, superiorum reverentia, fraterna caritate et fructibus bonorum operum, tum demum hæc exempla imitari studebunt veterum institutorum sodales; non enim prius facile adducentur ut primi tentent hanc viam.

(1) Causa XVIII, q. 2, cap. 1, *Hoc tantum.*

3. Sed ad singula veniamus. Imprimis si necesse fuit ordines et congregationes religiosas a jurisdictione episcoporum eximere, quoniam præpositorum generalium aut capitulorum generalium auctoritas cum innumerorum episcoporum interventu, utut arctis finibus concluso, consistere nequit, quanto minus admittendum est ab ipsis episcopis gubernari cœnobia? Si historia monastica magistra sit monasticæ vitæ, profecto fas est asserere nihil excogitari posse perniciosius, ut supra satis ostensum fuit. Profecto hodiedum inter episcopos vix ullus est qui egregiis non fulgeat virtutibus : verumtamen si internam cœnobiorum gubernationem aliquando sibi vindicarint, quominus in pluribus cœnobiis, diversi forsan instituti, munere suo rite fungantur, non pauca obstare fatebuntur. Quum enim obedientiæ plerique jugum non tulerint, vitæque religiosæ difficultates non nisi a longe perspexerint, regularum constitutionumque, quarum intelligentiam usu nacti non sunt, observationem non nisi difficile urgebunt, vitato utroque nimiæ benignitatis et nimiæ severitatis excessu. Hæc omnia perpendentes episcopi, bonis superioribus a se constitutis amplam sponte potestatem concedent. Sed quomodo hos discernent superiores qui subditis suis omnigenarum virtutum exemplo et documento sint, eorum sibi fiduciam concilient, vel etiam animorum perfectionem, meditandi studium, conjunctionem cum Deo procurent. Et cum tanta sit in superiorum delectu difficultas, nonne sæpius adducentur ut eis, absoluto pro regularum præscriptis regiminis tempore, alios sufficere prætermittant. Et si ambitiosos præter opinionem aliis præfecerint, annon hi monasterii res ita disponent, ut episcopi eos a regimine non nisi difficilime amovere possint? Multæ eæque largæ utiqne pollicitationes fient : regulas ordinum, statuta conciliorum et præcepta Romanorum pontificum summo fore in honore; nihil ab his recessum iri; futurum ut omnia disponantur ad utilitatem spiritualem religiosorum, ad ædificationem publicam et ad majorem Dei gloriam. Verum timendum est ne ipsi sanctissimi et prudentissimi episcopi, negotiis obruti, promissis stare non valeant. Exemplo sint bene multa monialium monasteria omni ex parte eorum subjecta imperio, ubi hactenus ex illis præceptis non pauca omissa fuerunt. In nonnullis quidem locis

in desuetudinem abierunt leges de mutandis confessariis; visitationes juxta præscriptam formam institutæ fuerunt fere numquam; neglectæ adhortationes de vita religiosa ad moniales, quæ multis locis nullum verbum audiunt de suis officiis extra exercitia spiritualia annua fere nonnisi a regularibus tradita: et quum multæ moniales clausuram regularem non servent neque servare possint, aliquando non satis cautum est ut aliis industriis et diligenti cura earum virtus et fama defendantur. Nemo ignorat hæc omnia in tanta qua nunc multæ laborant diœceses sacerdotum penuria vix posse ad amussim servari. Sed nonne tunc satius est novum onus non addere iis quibus gravantur nunc episcopi.

Certe rari sunt cardinales Saldanius, Malvetius et Lomenius; quorum primus superiori sæculo omnem auctoritatem nactus in patres societatis Jesu Lusitanos, secundus in Bononienses, tertius in regulares omnes Gallos, innocentissimos viros iniquissime condemnarunt, aut vi et minis ad apostasiam adegerunt religiosos, perenni sua infamia jurisdictione pontificia abusi ad perdendas a Christo redemptas animas. Sed si uno tempore inter S. R. E. cardinales reperti sunt terni tanti prævaricatores, quis contenderit nullos umquam repertum iri inter episcopos? Sed aliud exemplum occurrit, sæculo XI et XII pleraque capitula cathedralia facta sunt regularia; ita ut canonici vitam religiosam secundum regulam S. Augustini profiterentur, communi uterentur mensa, communi dormitorio, rebus omnibus communibus, episcopi vero eorum essent capita. Sed centum aut ducenti non effluxerant anni, quum fere nuspiam amplius quidpiam de his observaretur; et certe sæculo XVI fere nulla jam erant capitula cathedralia canonicorum regularium. Quam perversionem nemo facile negabit absque episcoporum culpa contigisse. Hæc ut a monasteriis averteretur jam pridem scripsit Arnulfus episcopus Lexoviensis in sermone ante epistolam ejus XVI, *regularis conventus accipiat patrem regulari institutione formatum, ne statuæ aureæ caput æneum dicatur*; et quidem, quum fieri cœptum est ut episcopi non ex corpore capituli regularis eligerentur, disciplina, regula et vita communis curatæ non sunt, sed brevi dilapsæ. Quare quum fata capitulorum cathedralium regu-

larium non placeant regularibus, neque placere eis potest superiorem accipere regulari institutione non formatum.

4. Quod autem volunt rem temporalem permittendam esse episcopis, utique consilium novum non est, sed a primis temporibus tentatum sæpius. Nullis enim sæculis necesse non fuit Romanis pontificibus et conciliis tam generalibus quam particularibus suam exserere auctoritatem adversus episcopos aliquot qui monastica bona vi aut dolo invaderent, sed quæ hactenus severissimis legibus prohibita fuerunt, suntne impræsentiarum laudanda, quin etiam imperanda? Ast acceptis pecuniis nonnisi ad utilitates ecclesiasticas usuri dicuntur præsentes episcopi. Verum et hæ causae a pristinis allatae fuerunt episcopis: sed ea de re plurima consideranda sunt.

Utique nullo umquam tempore tot episcopi abstinentia et modestia conspicui fuerunt quam præsenti sæculo. Quot enim nomine designari possint qui, nedum ditescere voluerint aut consanguineos locupletare, omnes qualescumque reditus suos civiles æque ac ecclesiasticos, quin et patrimonium aut patrimonii partem profuderunt in eleemosynas aut alià pia opera? Quid quod aliqui alienis expensis sepeliendi fuerunt, quod nihil omnino eis amplius superesset aut de reditibus aut de patrimonio? Hæc exempla, olim in vitis sanctorum rarissima, sæpius his temporibus in Gallia, Belgio et alibi vidimus; ita ut vix admirationem excitent, sed quantavis sit laus abstinentiæ plurimorum episcoporum, quis eamdem omnium dixerit? Nihil non egit omni tempore ecclesia ut episcopi aliique prælati exemplum gregis fierent ex animo; sed aliud est hoc ejus studium, alius est effectus. Ambitio enim et avaritia per peccatum originale ita humanæ naturæ adhærent et tanta difficultate expugnantur, ut cardinalis Pallavicinus scribere veritus non sit perfectam plenamque reformationem fieri non posse, quoniam ab animis plurimorum prælatorum numquam expellentur illa vitia. Cujus utique rei habenda est ratio in examinanda proposita illa reformatione.

Quod enim a nonnullis quæritur, nihil aliud est quam commendarum pestem, toties a Romanis pontificibus deploratam, toties prohibitam a conciliis generalibus, et miseria potius temporum

quam hominum voluntate fere suppressam, denuo in monasteria atque ipsam ecclesiam christianam reducere. Non enim putandum est commendas olim gratuita et arbitraria Romanorum pontificum fuisse dona. Quum ipsorum sit dispensare, non dissipare, ut fere loquitur S. Bernardus, commendatoriis gravissima imponebant onera: quæ si hi neglixerent, eorum culpa erat, non vicariorum Christi. Initio commendæ collatæ quod nullus inter monachos aptus videretur qui monasterium regeret; propterea accitus foris qui illo munere fungeretur, donec e monachis abbas eligi posset. Collatæ similiter, quod ædificia ruinosa essent, nec viderentur monachi turbandi restaurationis curis et sollicitudinibus. Aliis quoque de causis principio collatæ fuerunt, sed semper ad utilitatem ipsorum monasteriorum. Neque perpetuæ erant, sed (ut procurationes omnes) temporariæ; et quum dignus sit operarius mercede sua, certam illi procuratores mercedem accipiebant. Hæc optima utique et laudanda plurimum. Verum, quum commendatorii omnes monasteriorum reditus acciperent eorumque procurationem haberent, eos sibi paulatim reservarunt; ut beati essent monachi, si vestitus cibusque sibi suppeteret. Neque hic steterunt commendatorii. Quo copiosiores sibi pecunias corroderunt, minuerunt paulatim monachorum numerum et, nedum ædificia restaurarent, sinebant ea ruinam trahere. Hinc tot Romanorum pontificum, tot conciliorum querelæ de destructis monasteriis; hinc tot monachorum labores ut commendatoriorum pestem a se averterent; hinc tot excogitata remedia ut aut malum tolleretur aut certe minueretur (1). Concilium Tridentinum extinctas voluisset (ut ipsummet sessione XXV, de regul. cap. XXI declarat) commendas omnes, significavitque se confidere *sanctissimum Romanum pontificem pro sua pietate et prudentia curaturum, quantum hæc tempora ferre posse viderit, ut iis, quæ nunc commendata reperiuntur, et quæ suos conventus habent, regulares personæ, ejusdem ordinis expresse professæ, et quæ gregi præire et præesse possint, præficerentur.* Restaurata itaque est lex : *Regularia regularibus, sæcularia sæcularibus.* Sed frustra : prævaluit scilicet ardor clericorum sæcularium, etiam aliquando episcoporum, ad beneficia re-

(1) Piales, Traité des commendes et réserves, *passim.*

gularia inhiantium. Scripserunt Romam se *profiteri* vitam religiosam *cupere*, adeoque proxime fore regulares, ut dispensatio nonnisi temporaria futura esset. Unde ortæ provisiones *pro cupiente profiteri*. Sed Deus, qui scrutatur corda et renes hominum tantoque terrore pœnas repetiit ab Anania et Saphira, quod mentiti erant Spiritui sancto, ipse novit an cuperent profiteri qui numquam profitebantur aut certe indigni judicabantur qui admitterentur ad professionem. Alii scripserunt monasteriorum *ædificia ruinosa* esse, et (quasi insignes architecti forent) illi sibi in commendam tradi postulabant *restaurandi* causa. Sed literæ Romanorum pontificum, conciliorum decreta, regum et principum edicta unanimi voce clamant nihil ædificiis perniciosius fuisse quam hanc *restauratorum* curam. Volebant pontifices, quocumque titulo concederetur commenda, *quod propter hujusmodi commendam divinus cultus ac solitus monachorum et ministrorum numerus in dicto monasterio N. nullatenus minueretur, sed illius ac dilectorum filiorum conventus ejusdem congrue supportarentur onera consulta, et quod commendatorius, (oneribus hujusmodi debite supportatis, necnon quarta, si abbatia separata sit et seorsum a conventuali, si vero communis mensa inibi exsistat, tertia parte omnium fructuum, reddituum et proventuum monasterii N. hujusmodi in restaurationem illius fabricæ, seu ornamentorum emptionem, vel fulcimentum aut pauperum alimoniam, prout major exegerit et suaserit necessitas, omnibus aliis deductis oneribus, annis singulis impertita,) de residuis monasterii fructibus, redditibus et proventibus disponere et ordinare libere et licite valeret, sicuti etc.*

Sed imminutus passim monachorum numerus, ruinam trahebant ædificia, sordida templorum species quasi nota et character erat commendatorum monasteriorum. Quæ vero in plerisque disciplinæ observantia, quæ incolarum dignitas et veneratio, quæ vita communis et fraterna caritas? sed et passim fervebant adversus avaros cupidosque commendatorios inimiciciæ, lites pendebant in tribunalibus laicis, nuspian fere erat pax aut concordia. Superfluos reditus in pia opera expendere tenebantur commendatorii; sed his sæpe locupletabant consanguineos, nisi etiam luxu aliisque peccatis eos perderent. Quorum malorum, quæ in Gal-

liis omnium erant frequentissima, quum testes essent populi, paulatim venerationem qua bona Deo dicata prosequebantur amiserunt, donec visum sit (ausu utique sacrilego) ea in publicos civilesque usus convertere, quasi inde nullum jus læderetur, quum ea commendatoriorum plurimorum libidini auferrentur. Utique, qui novam reformationem utilem cogitant, hanc pristinam pestem reducere nolunt; sed in hoc errant quod non vident ex bonis initiis ingentia secutura mala.

Errant insuper qui arbitrantur religiosos his temporibus divitiis abundare. Si enim excipiantur aliquot in orientali Europæ parte monasteria, reliqua fere omnia fuerunt suppressa et, amissis bonis omnibus, denuo erecta. Unde autem collectæ pecuniæ? Partim ex religiosorum patrimonio, partim contracto ære alieno, longe minima parte ex eleemosynis fidelium. Quod si parsimonia et labore ad bonitatem aliquantisper profecit res temporalis, multum abest ut copia affluat. Apparent utique conventus, apparent templa, apparent collegia et bibliothecæ,sed non apparent debita,quibus domus multæ premuntur,nonnullæ opprimuntur. Siquæ autem satis habeant, hæc res religiosorum est, qui tam juste eam universi possident quam privati rem suam : ita ut absque manifesta injustitia eorum proprietas violari non possit. Adeoque consilium illud tanto his temporibus perniciosius est quanto in graviora pericula jus proprietatis a socialistis et communistis incurrit.

Sed an rebus suis tam male utuntur regulares? Oculos circumfer per utramque Americam, per Oceani insulas, per Turciam, Ægyptum, Anatoliam, Palæstinam, Mesopotamiam, Indiam, Sinam aliasque regiones : ubique a regularibus erectas aut procuratas cernes missiones, scholas, templa, collegia. Utique societas de propaganda fide auxilia confert, sed nuspiam fere sufficientia : nihil autem ad missionariorum educationem, cujus tamen sumptus maximi sunt. Fac enim in missione aliqua triginta versari missionarios et singulos in tirocinio scholisque philosophicis et theologicis versatos esse annos decem, ad 300,000 francos facile ascendunt expensæ : non enim minus francis mille constat annuus victus cultusque scholastici. Atque ut de una Societate Jesu loquar, quæ anno 1773 deleta fuit et nonnisi anno

1814 restituta, cui extra Italiam nulla fere reddita fuerunt templa, nulla collegia et domus, cujus provinciæ Neapolitana, Sicula, Taurinensis, Veneta, Helveta, Aragonica, Castellana et Mexicana jam pridem dispersæ fuerunt et denuo omnibus bonis spoliatæ, et cujus reliquæ fere provinciæ obruuntur ære alieno, hæc tantopere exagitata societas, et revera pauper, in missionibus exteris ineunte anno 1868 habebat presbyteros 700, scholasticos 273, fratres laïcos 505, universim 1478. Atque alii ordines et congregationes æmulantur charismata non minus bona.

5. Quæ quum ita sint, si tamen mutationem aliquam inducere velint illustrissimi episcopi, aliam omnino suadebunt æquitas et ratio. Recogitent quid monachis debeant Galliæ, in quibus S. Martinus, episcopus Turonensis ad exemplum S. Eusebii Vercellensis, ita instituit clericos ut simul monachi essent : adeo ut per plura sæcula, quemadmodum in præfatione ad Opera S. Gregorii Turonensis ostendit Ruinartus, non essent illic clerici qui monachi non essent ; quid eisdem item debeat Hispania tum ante adventum tum post expulsionem Maurorum, ita ut (si aliquot martyres excipiantur) nulli fere illic colantur sancti indigenæ qui monachi seu religiosi non fuerint ; quid Hibernia et Scotia, quæ per plura sæcula nullos vidit episcopos aut presbyteros nisi monachos ; quid Anglia, quæ Christum non novit nisi per monachos, neque monachorum amorem et existimationem cum fide catholica posuit ; quid Belgium, Batavia, Germania, Dania, Suecia, Norwegia, Prussia aliæque provinciæ Slavicæ, omnes ad Christum adductæ per monachos ; quid utraque America, quid Indiæ, quid omnes Oceani insulæ, quas impavidi adierunt religiosi, immensis laboribus excoluerunt atque etiam rigarunt suo sanguine ; quinam redemerint aut solati sint captivos aliosque christianos, sub Turcarum jugo gementes ; quinam omnium fortissime restiterint Valdensibus, Albigensibus, Protestantibus in Anglia, in Germania, in Belgio, in Galliis et alibi ; quinam operosissime in collegiis et scholis juventutem, in pulpitis populum christianum docuerint ; quinam minima mercede in congregationibus Romanis universæ ecclesiæ operam navaverint suam ; quinam ubique terrarum omnium maxime odium hæreticorum et impiorum semper subiverint et adhuc subeant ; quot sanctissimi viri, etiam

cælestium honoribus judicio pontificio digni, ex religiosis claustris prodiverint et quam pauci ex aliis hominum classibus; quanta uno verbo intra sæcula octodecim ex religiosis domibus profecta sint bona. Videant deinde, quoties exultarint impii et hæretici, religiosos ejectos fuisse e suis claustris bonisque suis spoliatos, quam raro hæc iniquitas reparata fuerit, etiam melioribus illucescentibus temporibus. Videant eorum ruinam per concordata Gallicana, Italica, Germanica et Hispanica profligatam fuisse ; magnam partem eorum templorum conversa fuisse in templa parochialia et usibus unius cleri sæcularis destinata ; regulares autem cogi omnia de novo suscitare atque tam incerta conditione ut ne jus quidem proprietatis eis tribuere aut agnoscere velint tribunalia civilia. Hæc si videre et recogitare velint illustrissimi episcopi, sentient forsitan hunc rerum statum, si justitiæ non adversetur, saltem cum æquitate naturali et christiana pugnare. Utique, quum concordata illa facta sunt, aliter fieri non potuit, et, ut episcopi abdicare debuerunt suas sedes propter publicam ecclesiæ necessitatem, sic regulares jacturam facere suorum templorum et conventuum ; verum, quum liberum nunc sit multis episcopis calamitatem illam regularium reparare, quidni hac libertate utantur? Id autem unum ab eis postulari posse videtur, ut dispicere velint an tot regularium cladibus addenda sit nova eorum bonorum jactura. Neque plura de his dixerim.

Quibus ut finem aliquando faciam hæc (ni fallor) omnium regularium nomine profiteri possum : regulares, ut reliquæ hominum classes omnes, indigent reformatione ; ast reformatio in destructione non consistit, sed in veteris disciplinæ restitutione. Lumine itaque Spiritus sancti illustrati, investigent reverendissimi episcopi quibus industriis roboranda sit superiorum auctoritas et procuranda inferiorum obedientia ; quo pacto purior fieri possit religiosa paupertas et securior castitas animi et corporis ; qua ratione institutio novitiorum, divina liturgia et psalmodia, orationis frequentia, literarum sacrarum studium, otii fuga, ministerii sacri labores, præceptio in scholis, regularum observantia aliaque religiosa officia fiant modo perfectiori, adeoque utiliori ad Dei gloriam, regularium sanctitatem et

Christi fidelium ædificationem ; sed hæc exspectanda non sunt a perturbatione et conversione religiosorum ordinum et congregationum ; contra a confirmatione bonarum rerum, quas toties approbarunt concilia, Romani pontifices et optimi quique episcopi.

APPENDIX.

Commentarius Lucii Ferrarii(1) de rebus in quibus regulares subsunt episcopis aut ab eorum auctoritate sunt liberi.

1 Exemptio est privilegium, quo persona, aut locus ab jurisdictione episcoporum, seu ordinariorum liberantur, et subtrahuntur, ac summo pontifici immediate subjiciuntur. *Est in re communis, arg. cap. Si Papa* 20. *de Privileg. in* 6.

2 Episcopi, seu ordinarii in pluribus casibus jurisdictionem habent in regulares, sive ordinariam, sive delegatam. *Comm.* et clare patebit ex infra dicendis.

3 Jurisdictionem ordinariam in ipsos habent in iis, in quibus jure ordinario, seu ex suo ordinario officio, ex lege, canone, vel consuetudine sibi competente possunt contra eos procedere. *Communis.*

4 Jurisdictionem vero delegatam in ipsos habent in iis, in quibus, non jure proprio, et ordinario suo officio, sed ex sola demandata sibi auctoritate a sede apostolica possunt contra eos procedere, uti cum canones et jura disponunt, ut contra eos auctoritate apostolica, vel tamquam sedis apostolicæ delegati procedant. *Communis.*

5 Affertur constitutio 18. Gregorii XV de exemptorum privilegiis et subjectione, multa ad rem continens scitu digna.

Gregorius episcopus, etc. — Inscrutabili, etc.

« § 1 Sanctæ Tridentinæ synodi decretis provide cautum est, nullum presbyterum, etiam regularem posse confessiones sæcularium, etiam sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari; nisi aut parochiale beneficium habeat, aut ab episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, et approbationem, quæ gratis detur, obtineat. »

« § 2 Necnon, ut in monasteriis, seu domibus virorum, seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum sæcularium, præter eas, quæ sunt de illorum monasteriorum, seu locorum familia, personæ tam regulares, quam sæculares ejusmodi curam exercentes subsint immediate, in his, quæ ad dictam curam, et sacramentorum administrationem pertinent, jurisdi–

(1) Bibliotheca canonica, *v. Regulares, art. II.*

ctioni, visitationi et correctioni episcopi, in cujus diœcesi sunt sita. Itemque ut episcopi universi sub obtestatione divini judicii et interminatione maledictionis æternæ in omnibus monasteriis sibi subjectis ordinaria, in aliis vero sedis apostolicæ auctoritate clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, et ubi inviolata est, conservari maxime procurent; Inobedientes, atque contradictores per censuras ecclesiasticas, aliasque pænas, quacumque appellatione postposita, compescentes. »

« § 3 Atque ut regulares in ecclesiis suorum ordinum prædicare volentes se coram episcopis præsentare, et ab eis benedictionem petere teneantur. In ecclesiis vero, quæ suorum ordinum non sunt, nullo modo prædicare possint sine episcopi licentia; contradicente autem episcopo nulli, etiam in suorum ordinum ecclesiis, prædicare præsumant. »

« § 4 Verum quia experientia compertum est, ecclesiastici regiminis rationem postulare, ut decretis ejusmodi aliquid adjungatur; matura deliberatione nostra, et ex certa scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, hac generali ac perpetuo valitura constitutione, decernimus, statuimus et declaramus, ut deinceps tam regulares, quam sæculares, quomodolibet exempti, sive animarum curam personarum sæcularium monasteriis, seu domibus regularibus, aut quibusvis aliis ecclesiis, vel beneficiis, sive sæcularibus incumbentem, exerceant; sive alias ecclesiastica sacramenta, aut unum ex illis ministrent prævia episcopi licentia, et approbatione; sive quoquomodo in eorumdem sacramentorum, vel alicujus ex illis administratione de facto absque ulla auctoritate se ingerant, in his, quæ ejusmodi curam, seu administrationem concernunt, omnimode jurisdictioni, visitationi et correctioni diœcesani episcopi tamquam sedis apostolicæ delegati, plene in omnibus subjiciantur; ad hæc tam regulares, quam sæculares hujusmodi nullis privilegiis, aut exemptionibus tueri se possint, quominus, si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationem monasteriorum monialium, etiam regularibus subjectarum, ab episcopo loci similiter tamquam ad hoc sedis apostolicæ delegato, quoties et quando opus fuerit, puniri, et corrigi valeant. »

« § 5 Confessores vero, seu sæculares quomodocumque exempti, tam ordinarii, quam extraordinarii ad confessiones monialium, etiam regularibus subjectarum, audiendas, nullatenus deputari valeant, nisi prius ab episcopo diœcesano idonei judicentur, et approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant; sed et administrantes bona ad ejusmodi monasteria sanctimonialium, ut præfertur, etiam regularibus subjectarum, pertinentia, sive regulares extiterint, sive sæculares quomodolibet exempti, episcopo loci, adhibitis etiam superioribus regularibus, singulis annis rationes administrationis,

gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idque juris remediis cogi, et compelli queant; liceatque episcopo ex rationabili causa superiores regulares admonere, ut ejusmodi confessores, atque administratores amoveant; iisque superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat episcopus facultatem prædictos confessores et administratores amovendi toties quoties, et quando opus esse judicaverit; ac similiter possit episcopus una cum superioribus regularibus quarumcumque abbatissarum, priorissarum, præfectarum, vel præpositarum eorumdem monasteriorum, quocumque nomine appellentur, electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere abque ulla tamen ipsorum monasteriorum impensa. »

« § 6 Ac demum habeat episcopus, tamquam dictæ sedis delegatus auctoritatem coercendi, ac puniendi quoscumque exemptos, tam sæculares, quam regulares, qui in alienis ecclesiis, aut quæ suorum ordinum non sunt, absque episcopi licentia, et in ecclesiis suis, àut suorum ordinum non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, prædicare præsumpserint; ita ut episcopi in suprascriptis casibus, in prænominatas personas, in præmissis omnibus et singulis, aut circa quoquomodo delinquentes, quoties, et quando opus fuerit, etiam extra visitationem per censuras ecclesiasticas, aliasque pœnas, uti ejusdem sedis delegati procedere, omnemque jurisdictionem exercere libere et licite valeant, »

§ 7 (*Et sequitur clausula præservativa una cum aliis derogatoriis.*)

« Datum Romæ apud S. Petrum nonis februarii 1612. pontificatus anno secundo; » *Bullar. tom.* 4, *pag.* 98.

6 Afferuntur responsa sacræ cong. Concilii ad varia dubia super dicta constitutione Gregorii XV. exorta.

Posita constitutione fel. rec. Gregorii XV, de exemptorum privilegiis, etc. Dubitatur;

« 1 An liceat episcopis visitare altaria regularium ecclesiarum, quibus cura animarum personarum sæcularium non incumbit, aut loca, ubi in eisdem ecclesiis asservatur SS. Eucharistiæ sacramentum, vel ubi audiuntur confessiones personarum sæcularium? »

« 2 An episcopi possint regularibus præscribere, ut certis tantum in locis ac temporibus, aut certarum personarum confessiones audiant, vel alias illorum privilegia restringere, ac moderari in sacramentis administrandis. »

« 3 An facultas episcopis per constitutionem attributa in exemptos, tam sæculares, quam regulares, intelligatur, etiam tributa in personas nullius diœcesis? »

« 4 An eadem facultas competat inferioribus prælatis proprium territorium ac jurisdictionem quasi episcopalem habentibus? »

« 5 An per eamdem constitutionem in illis verbis ; *Possit episcopus una cum superioribus regularibus quarumcumque abbatissarum etc. electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere*, jus abbatissas confirmandi episcopis attributum censeatur ? »

« 6 An confessores monialium ante dictam constitutionem deputati debeant ab episcopo examinari et approbari ? »

« 7 An superiores regulares similiter ante ipsius constitutionis publicationem electi, seu deputati, alia indigeant episcopi approbatione pro confessionibus sanctimonialium sibi subjectarum audiendis ? »

« 8 An confessiones, quas audiunt superiores regulares electi, seu deputati, vel confirmati post publicationem, et scientiam tenoris dictæ bullæ, non obtenta episcopi approbatione, sint nullæ, atque irritæ, necne ? »

« 9 An regulares generaliter ab episcopo approbati ad confessiones personarum sæcularium audiendas, censeantur etiam approbati ad audiendas confessiones monialium sibi subjectarum ? »

« 10 An regularis ad audiendas confessiones monialium unius monasterii ab episcopo approbatus confessiones monialium alterius monasterii audire possit ? »

« 11 An confessores regulares extraordinarii semel ab episcopo deputati, et approbati ad audiendas monialium confessiones pro una vice infra annum ad præscriptum sacri concilii Tridentini possint virtute dictæ approbationis pluries tamquam confessores extraordinarii earumdem confessiones absque nova episcopi licentia ? »

« 12 Cum in eadem constitutione statutum sit, ut liceat episcopo ex rationabili causa superiores regularium admonere, ut amoveant confessores monialium, atque administratores bonorum ad earumdem monialium monasteria pertinentium : iisdem superioribus, id facere detrectantibus, habeat episcopusfacultatem prædictos confessores et administratores amovendi quoties, et quando opus esse judicaverit : an ejusdem causam episcopus superioribus regularibus significare teneatur ? »

« 13 An eadem constitutio, qua parte supponit episcopi jurisdictioni regulares delinquentes circa personas degentes intra septa monasteriorum monialium, aut circa clausuram, vel bonorum administrationem eorumdem monasteriorum, habeat locum in omnibus delictis, an vero solum in notoriis, et cum scandalo populi ? »

« Sacra congregatio cardinalium concilii Tridentii interpretum censuit, constitutionem san. mem. Gregorii XV. de exemptorum privilegiis nequaquam subjicere regulares exemptos, quibus cura animarum personarum sæcularium non incumbit, episcoporum jurisdictioni in his, quæ sacramentorum

administrationem concernunt, nisi cum in sacramentis personis sæcularibus administrandis iidem regulares delinquunt, ac propterea. »

« Ad 1 dubium respondit, episcopis non licere in vim ejusdem constitutionis visitare altaria ecclesiarum regularium, quibus non incumbit animarum cura personarum sæcularium, nec loca, ubi in iisdem ecclesiis asservavatur SS. Eucharistiæ sacramentum, vel ubi confessiones personarum sæcularium audiuntur. »

« Ad 2. Hac in parte constitutionem nihil novi juris induxisse, nec ullam novam auctoritatem episcopis in regulares attribuisse, ideoque in vim ipsius constitutionis non posse episcopos regularibus præscribere, ut certis tantum in locis, ac temporibus, aut certarum personarum confessiones audiant, vel alias illorum privilegia in sacramentis administrandis restringere, au moderari. Quod si aliunde episcopis hujusmodi facultas competat, illam non fuisse ab eadem constitutione sublatam.

Ad 3. Censuit, ejusdem facultatem non intelligi tributam episcopis in personam nullius diæcesis.

Ad 4. Non competere.

Ad 5. Jus confirmandi abbatissas minime fuisse episcopis per constitutionem attributum.

Ad 6. Confessores quidem extraordinarios monialium nullatenus posse post constitutionem illarum confessiones audire, nisi prius ab episcopo diœcesano idonei judicentur et approbentur ; ordinarios vero confessores ante constitutionis publicationem deputatos, posse, durante triennio ab eorum deputatione inchoando, pergere in confessionibus sanctimonialium audiendis absque alio examine, et approbatione episcopi. Quod si contingat, ut illorum facultas a sede apostolica ultra triennium prorogetur, tunc debere eos ab episcopo examinari, et approbari.

Ad 7. Superiores regulares electos, seu deputatos ante ipsius constitutionis publicationem, quibus alioquin facultas competat audiendi confessiones monialium sibi subjectarum, posse, durante eorum officio, pergere sine alia episcopi approbatione in confessionibus audiendis illarum tantum, quæ sponte ac proprio motu id ab eis petierint ; at vero eos, qui post constitutionem eligentur, qui quoquo modo deputabuntur, vel qui in eorum officiis seu dignitatibus, expleto jam tempore a constitutionibus cujuscumque ordinis, vel alias legitime præfinito, ad aliud tempus confirmabuntur, nequaquam posse sanctimonialium confessiones audire, nisi prius a diœcesano episcopo idonei judicati et approbati fuerint.

Ad 8. Confessiones hujusmodi nullas atque irritas esse.

Ad 9. Regulares generaliter ab episcopo approbatos ad confessiones per-

sonarum sæcularium audiendas, nequaquam censeri àpprobatos ad audiendas confessiones monialium sibi subjectarum : sed egere quoad hoc speciali episcopi approbatione.

Ad 10. Regularem ad audiendas confefsiones monialium unius monasterii ab episcopo approbatum, minime posse audire confessiones monialium alterius monasterii.

Ad 11. Confessores extraordinarios semel deputatos atque approbatos ab episcopo ad monialium confessiones pro una vice audiendas, haud posse pluries in vim approbationis ejusmodi illarum confessiones audire; sed ab episcopo toties esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit.

Ad 12. Non teneri ejusmodi causam significare superioribus regularibus, sed hoc relinqui arbitrio et prudentiæ episcoporum, quorum conscientiam S. congregatio serio oneravit, ut facultate sibi in hac parte attributa quoquomodo abutantur, ejus rei in stricto Dei judicio rationem reddituri.

Ad 13. Constitutionem habere locum in omnibus delictis, non autem in notoriis tantum, et cum populi scandalo.

Quæ sacræ congregationis responsa ad se relata fel. rec. Gregorius XV et S. D. N. Urbanus VIII in omnibus probarunt. — A. CARD. CAJETANUS. — PROSPER FAGANUS sac. cong. secretarius. *Bullar. tom.* 4, *pag.* 101 *et* 102.

7 *Afferuntur alia dubia ab eadem sacra congregatione declarata, a S.D. N. approbata.*

1. An regularis absque legitima licentia accedens ad monasterium monialium regularibus subjectarum, ibique in loco colloquiis destinato cum moniali colloquens, a diœcesano episcopo, tamquam sedis apostolicæ delegato coerceri et puniri possit?

Sacra congregatio cardinalium sac. Concilii Tridentini interpretum censuit posse. Quam congregationis sententiam sanctissimus D. N. Urbanus VIII. ad se relatam approbavit.

2. An liceat episcopo in vim constitutionis san. mem. Gregorii XV de exemptorum privilegiis, punire regulares, qui ad abbatissæ electionem procedunt ante tempus ipsi episcopo significatum, aut die electionis eidem nullatenus prenunciata?

Sacra congregatio respondit : Regulares ex eadem constitutione ita demum teneri episcopo significare diem electionis abbatissæ, eumque usque ad præfinitum tempus exspectare, si antea ipse expresse declaravit, se uti velle facultate sibi hac in parte attributa, abbatissarumque electionibus, per se, vel per alium interesse ac præsidere ; post eam vero declarationem licere episcopo animadvertere in regulares, qui ante tempus significatum, aut die ele-

ctionis eidem non prænunciata, ad abbatissæ electionem procedunt: Cos. CARD. DE TORRES.—PROSPER FAGNANUS secret. *Bullar. dict. tom.* 4 *pag.* 102.

8 *Afferuntur variæ resolutiones sacræ cong. specialiter deputatæ* in causâ Angelopolitana jurisdictionis *vertente inter episcopum. et patres Jesuitas. confirmatæ ab Innocentio X. constitut. incip.* Cum sicut accepimus, *ubi referuntur ordine sequenti.*

« *I* An in casu, quo episcopus præcipiat decreta aliqua concilii Tridentini a regularibus observari et executioni demandari, regulares quicumque etiam Societatis Jesu, sub prætextu, quod hujusmodi præcepta infringant sua privilegia, possint eligere conservatores? Congregatio respondit: Si Episcopus præcipiat regularibus, etiam Societatis Jesu, in illis casibus, in quibus per ipsum concilium, vel constitutiones apostolicas regulares exempti subjiciuntur jurisdictioni, et correctioni episcopi minime licere ipsis regularibus ob eam causam conservatores eligere. »

« *II* An quando ordinarius procedit juris ordine servato, adversus regulares exemptos in casibus, in quibus per concilium Tridentinum vel constitutiones apostolicas ipsi subjiciuntur, possint conservatores judices assignare? Respondit, ut ad proximum, non posse. »

« *III* An regularibus, etiam Societatis Jesu, asserentibus se habere privilegia quominus obediant episcopo in executione decretorum juris communis, concilii Tridentini et constitutionum apostolicarum, ordinarii debeant ipsis adhibere fidem absque exhibitione hujusmodi privilegiorum? respondit, ordinarios non teneri hujusmodi assertioni fidem adhibere absque integrali privilegiorum exhibitione. »

« *IV* An in casu, quo regulares quicumque, etiam Societatis Jesu, exhibeant aliqua privilegia, et ordinarii judicent ea non suffragari casui, de quo agitur, et ad rem non facere, regulares præfati possint, ac debeant provocare ad summum pontificem, vel in partibus Indiarum remotissimis, ad metropolitanum, sive ordinarium viciniorem, vel potius possint, hoc casu eligere judices conservatores? Respondit, si verba privilegiorum sunt obscura, et ambigua, non licere recurrere ad metropolitanum, vel viciniorem episcopum, nec conservatores eligere, sed summum pontificem pro interpretatione esse adeundum. »

V Utrum constitutio felic. record. Gregorii XV circa conservatores regularium publicata anno 1671 cum declarationibus eminentissimorum S. C. C. Interpretum desuper editis, æque afficiant, et comprehendant religiosos Societatis Jesu, ac reliquos regulares, ita ut omnia alia præfatæ societatis privilegia fuerint redacta ad terminos dictæ constitutionis et sic in posterum debeant ab iis eligi conservatores juxta formam et tenorem præ-

scriptæ constitutionis: Respondit hujusmodi constitutionem cum declarationibus, ut præfertur, editis æque afficere religiosos Societatis Jesu, atque aliorum ordinum, et conservatores ad illius prescriptum esse eligendos, non obstantibus quibusvis privilegiis, quippequæ omnia sunt redacta ad terminos ipsius constitutionis. »

« *VI* An regulares prædicti gravati ære alieno, vel ad ratiocinia, vel testamentorum executores possint conveniri coram ordinario, si conservatores non nominaverint intra tempus habile ab ordinario præscriptum? Respondit, regulares in causis præfatis coram ordinario loci esse conveniendos, si ad præscriptum constitutionis san. memor. Gregorii XV conservatores non elegerint, ipsum electionis documentum intra præfinitum tempus in actis curiæ ipsius ordinarii non exhibuerint, ac dimiserint. »

« *VII* An dicti regulares, conservatores, sive ad jura, sive ad privilegia tuenda assumentes, teneantur ante exercitium commissionis præstare cautionem coram ordinário, sive alio judice competente de judicio, sisti, et judicatum solvendo, casu, quo in lite, sive causa succubuerit? Respondit, non teneri. »

« *VIII* An quando episcopi jura, vel decimas cathedralium adversus regulares prædictos dote sua spoliantes ecclesias coram judice competente tuentür, librosque, memorialia, et allegationes producunt, jus ecclesiarum cathedralium exprimentes, et acquisitiones religiosorum : aliaque id generis adnumerantes, hujusmodi scriptorum occasione possint regulares nominare conservatores, prætendentes injuriam sibi inferri in referendo immoderatas acquisitiones? Respondit, si episcopi pro tuendis juribus cathedralium ecclesiarum coram judice competenti hujusmodi scripta producant, et regularium immoderatas acquisitiones veraciter, et modeste referant, non licere ob eam causam ad conservatores recurrere. »

« *IX* Utrum regularis quicumque, etiam Societatis Jesu possit administrare sacramentum pœnitentiæ sæcularibus absque licentia episcopi diœcesani, etiamsi in alia diæcesi ab episcopo approbatus sit; respondit? Regulares etiam Societatis Jesu in una diœcesi ab episcopo approbatos ad confessiones personarum sæcularium audiendas, nequaquam posse in alia diœcesi hujusmodi confessiones audire sine approbatione episcopi diœcesani. »

« X An episcopus contra dictos regulares, audientes in sua diœcesi confessiones sæcularium absque approbatione, vel concionantes absque licentia episcopi intra et extra proprias ecclesias possit procedere, eos a talibus ministeriis removendo, sive præceptis, et aliis juris remediis coercendo? Respondit, eisdem regularibus, qui confessiones personarum sæcu-

larium audiunt sine approbatione episcopi loci, vel prædicant in ecclesiis sui ordinis non petita illius benedictione, aut in aliis ecclesiis absque illius licentia, vel in ecclesiis, etiam sui ordinis, ipso contradicente, posse episcopum in vim constitutionis felic. record. Gregorii XV quæ incipit: *Inscrutabili Dei Providentia* tamquam sedis apostolicæ delegatum, administrationem sacramenti Pœnitentiæ, ac munus prædicationis interdicere, eosque juris remediis coercere, ac punire. »

« *XI* An quando episcopo constat, dictas licentias obtentas non fuisse, possit ipse præcipere, ut, donec licentiam intra præscriptum tempus exhibeant, a tali ministerio abstineant? Et an requirendus sit per episcopum pro his exhibendis provincialis in alia diæcesi, vel longissime existens, vel ipsi regulares confessarii, vel eorum superiores ejusdem diœcesis, in qua prædicta exercentur? Respondit, posse episcopum sic præcipere, nec pro hujusmodi licentiis requirendum esse provincialem, sed satis esse ipsos religiosos requirere, aut eorum superiores in diœcesi episcopi existentes. »

« *XII* An si contingat, ut aliquis prædictorum regularium insurgat contra episcopum in propria diœcesi, maledicto, scripto, vel dicto, populum scandalizando, possit ab episcopo puniri, et qua animadversione? Et quid, si hujusmodi delinquens transiverit ad aliam diœcesim, hoc casu servandum sit, et qua pœna puniendus sit regularis, qui commorans in una diœcesi spargat famosos libellos contra ordinarium alterius diœcesis? Respondit: si regularis intra claustra degens, extra ea in casibus in dubio expressi, ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, episcopo instante, teneri superiorem regularem, intra tempus ab eo præfigendum, severe illum punire, ac de punitione episcopum certiorem facere; alioquin sic delinquentem ab episcopo puniri posse ad præscriptum concilii Tridentin. c. 14. sess. 25. de Regul. Quod si delinquens ad aliam diœcesim migraverit, servandum esse, quod præcipitur in constitut. sac. mem. Clementis VIII incip. *Suscepti muneris ratio.* »

« *XIII* An conservatores nominati, et electi a regularibus præscriptis ante exercitium suæ jurisdictionis teneantur electionis authenticum documentum exhibere coram ordinario sub pæna nullitatis actuum? Respondit, ubique teneri. »

« *XIV* An privilegia, quæ sunt contra jurisdictionem ordinarii, et quibus gaudent, et gaudere prætendunt regulares præfati, debeant episcopis notificari, seu insinuari? Respondit, regulares teneri hujusmodi privilegia episcopo exhibere, si eis uti voluerint. »

« *XV* An prædia, metallorum fodinæ, sacchari opificinæ a regularibus Societatis, vel aliis possessa, vel aliæ domus sæculares, in quibus videlicet

unus, vel duo regulares tantum commorantur, gaudeant privilegio collegiorum, seu conventuum? Respondit, non gaudere. »

« *XVI* Utrum regulares præscripti apothecas quarumcumque mercium, macella, et similia præsertim prope collegia, seu conventus exercentes possint ab ordinario sub censuris inhiberi, ne hujusmodi exerceant? Respondit, non posse episcopum hoc prohibere regularibus exemptis; sed si in præmissis ita notorie delinquant extra claustra, ut populo scandalo sint, servandum esse, quod dictum est supra in responsione ad duodecimum. »

« *XVII* Utrum regulares etiam Jesuitæ in suis prædiis, officinis, aliisque suis domibus sæcularibus sitis intra limites parochialium ad se non spectantium, possint administrare sacramentum baptismatis solemnis, matrimonii, extremæ unctionis, et eucharistiæ in festo Paschatis famulis, mercenariis, rusticis, sive aliis id genus hominibus sæcularibus absque ordinarii vel parochi licentia? Respondit, non posse. »

« *XVIII* Utrum patres Societatis in civitate, et diœcesi Angelorum possint consecrare vasa sacra, altaria, et similia in quibus unctio requiritur? Respondit, itidem non posse. »

Pro parte vero religiosorum Societatis Jesu proposita fuerunt infrascripta dubia.

« *I* An episcopi in partibus Indiarum possint ex integro totum unum monasterium, vel collegium ab audiendis confessionibus suspendere? Respondit, episcopos Indiarum posse quidem omnibus simul unius monasterii, vel collegii confessariis adimere facultatem audiendi confessiones personarum sæcularium, etiam inconsulta sacra congregatione Episcoporum et Regularium negotiis præposita, cum decretum ab ea editum sub die 20 novembris 1615, ex intentionis defectu, et convenientia morali non extendatur ad regiones illas, tam longe dissitas. Verum ab hac generali suspensione, quæ vix sine scandalo, et animarum pernicie contingere potest, abstinendum esse episcopis, nisi gravissima subsistente causa super quo sacra congregatio illorum conscientias graviter voluit oneratas. »

« *II* An episcopus regularem pro confessionibus semel approbatum sine nova causa suspendere possit ab ipsis confessionibus audiendis? Respondit, regulares, alias libere ab episcopo prævio examine approbatos ad audiendas confessiones personarum sæcularium, ab eodem episcopo suspendi non posse sine nova causa, eaque ad confessiones ipsas pertinente. »

« *III* An bulla Pii V 34, in ordine tom. 2. Bullarii concessa, instante, et supplicante serenissimo rege catholico, non ad petitionem regularium, sit revocata in bullis summorum pontificum, in quibus exemptiones regularium mitigantur? Respondit, agendum cum Sanctissimo an velit declarare,

bullam non esse revocatam, illam tamen non suffragari, nisi in locis ubi est defectus parochorum. »

« *IV* An episcopus possit cum censuris procedere contra regulares exemptos, si inobedientes fuerint in confessionibus audiendis, vel prædicatione verbi Dei, et hoc vigore concilii Tridentini vel per quem canonem? Respondit, posse procedere, non quidem in vim concilii Tridentini, sed in vim constitutionis Gregorii XV. quæ incipit : *Inscrutabili Dei Providentia.* »

« *V* An licentia audiendi confessiones, et prædicandi, ab episcopo per litteras missivas, an solum per literas patentes cancellariæ concedi possit? Respondit, posse concedi etiam per litteras missivas, si ita episcopo videbitur. »

« *VI* An talis licentia oretenus sine scriptis concedi possit? Respondit, ut ad proximum. »

« *VII* An facultas eligendi conservatores concessa Societati a Gregorio XIII suffragetur illis in locis, in quibus non adsunt judices synodales? Respondit, privilegium Gregorii XIII suffragari, ut Societas non teneatur ex illis eligere conservatores, dummodo tamen in reliquis servetur forma constitutionis Gregorii XV hac de re edita. »

« *VIII* An conservatores Societatis, vicarios generales episcoporum auctoritate apostolica per sententias, censuras, et pœnas ecclesiasticas compellere possint virtute bullæ Gregorii XIII incip. *Æquum reputamus*, datæ ultima februarii 1573? Respondit, posse a manifestis injuriis et violentiis eos compescere etiam censuris, et pœnis ecclesiasticis. Datum Romæ die 16 aprilis 1648. Quapropter, ut præmissa firmius subsistant, et inviolabiliter observentur, nobis pro parte Joannis episcopi hujusmodi fuit humiliter supplicatum ut illa, auctoritate apostolica, confirmare dignaremur. Nos igitur etc. Decernentes etc. Sic non aliter etc. Irritum et inane etc. Non obstantibus etc. Romæ 14. Maii 1648. »

9 Regulares subduntur episcopis quoad causas fidei. Concil. Trid. *sess.* 3. *de Reform. c.* 2. Paulus V. constit. incip. *Romanus Pontifex*; Gregorius XV. constit. incip. *Universi Dominici*, ubi subduntur ipsis episcopis, et inquisitoribus.

10 Item subduntur episcopis quoad prædicationem verbi Dei. Concil. Trid. *cit. sess.* 5 *de Refor. cap.* 2 *et sess.* 24. *de Reform. c.* 4. Gregor. XV constit. incip. *Inscrutabili*, et Clemens X. constitut. incip. *Superna.* Vide verb. *Prædicare*, *Prædicator*.

11 Item subduntur episcopis quantum ad susceptionem ordinum. Concil. Trid. *sess.* 23. *de Reform. cap.* 8. 12. et 14. Vide verb. *Ordo*.

12 Item subduntur episcopis quantum ad audiendas confessiones sacramen-

tales sæcularium. Concil. Trid. *sess.* 23. *de Reform. c.* 15. Gregor. XV. cit. Constit. incip. *Inscrutabili.* Clemens X, citat. constit. incip. *Superna.* Vide verb. *Approbatio*, verb. *Confessarius*, et verb. *Reservatio casuum.*

13 Item subduntur episcopis, et ab ipsis possunt excommunicati declarari, si ministrent laicis infirmis, etiam hospitantibus in eorum conventibus, viaticum et extremam unctionem absque episcopi vel parochi licentia, *Clementin.* 1 *de privileg.* et sæpius declaravit *S. congreg. Concilii*, et signanter in *Nullius* 19 *septemb.* 1637 ; *in Cremon*, 27 *februarii* 1649 ; *in Ripana* 3 *februar.* 1652; *in Gerunden*, 13. *februarii* 1694 ; *et in Neapolitana* 5 *junii* 1700.

14 Item subduntur episcopis quantum ad audiendas confessiones monialium. etiam sibi subjectarum. Gregorius XV. cit. constit. incip. *Inscrutabili*, Clemens X cit. constit. incip. *Superna.* Vide verb. *Moniales art.* 5 et verb. *Jubilæum.*

15 Item subduntur episcopis, et ab ipsis possunt puniri, si violent sigillum sacramentale confessionis, cum isti censeantur delinquere circa administrationem sacramenti pœnitentiæ. Gregor. XV cit. const. incip. *Inscrutabili.*

16 Item subduntur Episcopis, si sollicitent pœnitentes in confessione, vel doceant, pœnitentes non teneri ad denunciandos confessarios sollicitantes. Gregorius XV. constit. incip. *Universi.*

17 Item subduntur episcopis quantum ad observanda et evitanda in celebratione missarum. Concil. Trid. *sess.* 22. *de sacrific. Missæ in Decret. De evitand. in celebrat. miss; et S. cong. concil. in Vercellen. ad dubium :* An liceret episcopo punire regulares prohibita vel indecentia in ecclesiis suorum ordinum committentes circa missæ sacrificium? *Die* 21 *martii* 1642, *respondit*, licere episcopo punire regulares committentes prohibita vel indecentia in ecclesiis etiam suorum ordinum circa missæ sacrificium. » *Apud Monacell. tom.* 2. *tit.* 13. *formul.* 1. *num.* 45.

18 Item subduntur episcopis, et possunt ab ipsis coerceri, si erigant altare portatile in domo privatorum, ut ibi celebrent, et viaticum ministrent regulari infirmo absque licentia episcopi, vel parochi. *S. cong. Conc. in Messanen.* 2. *septemb.* 1698. Vide verb. *Oratorium n.* 80.

19 Item subduntur episcopis, et ab ipsis puniri possunt, si celebrent missas in oratoriis privatis domicellorum diebus exceptis, vel postquam eadem die fuit ibidem jam celebrata unica missa in apostolico indulto concessa. *S. congreg. Concil. in Neapolitana* 30 *maii* 1699, et expresse Clemens XI. *die* 25 *decembris* 1703, in decreto de celebratione in oratoriis privatis incip. *Quoniam sancta*, vide verb. *Oratorium n.* 5.

20 Item subduntur Episcopis quoad admissionem ad habitum, et ad profes-

sionem monialium in monasteriis sibi subjectis, et possunt ab illis puniri, si non fuerint prius certiorati. *Sac. cong. Conc. in Limana* 19 *novemb.* 1625. *in Burgen.* 4 *decemb.* 1627. *in Dertonen.* 16. *decembr.* 1646. vide verb. *Moniales art.* 1. *num.* 68.

21 Item subduntur episcopis quoad electionem abbatissarum monasteriorum sui ordinis, cui per se, vel per alium potest episcopus interesse, si vult. Gregorius XV in citata. constitut. incipient. *Inscrutabili*, Vide verb. *Abbatissa.*

22 Item subduntur Episcopis, si confessarii monialium monasteriorum intra mœnia civitatis permaneant, et pernoctent in mansione per parietes, et per tecta non penitus disjuncta et separata a monasterio. Alexander VII constitut. incip. *Felici.*

23 Item subduntur episcopis, et ab ipsis puniri possunt, si superiores extra necessitatem ingrediantur monasteria monialium sibi subjectarum. Gregorius XIII const. incip, *Dubiis*, Alexander VII. cit. constit. incip. *Felici.*

24 Item si superiores plusquam semel in anno ex causa visitationis dicta monasteria ingrediantur. Alexander VII, cit. constit. *Felici.*

25 Item si superior generalis introducat secum in dicta monasteria plusquam duos socios sui ordinis, et superior alius a generali plusquam unum. Alexander VII cit. const. *Felici.*

26 Item, si ipse superior visitator, aut ejus socii sumpserint intra clausuram aliquam refectionem. Alexander VII in cit. constit. *Felici.*

27 Item, si urgente causa eodem anno pluries ingrediendi septa monasterii, superior fuerit ingressus absque præsentia episcopi diœcesani, vel alterius personæ ecclesiasticæ ab ipso ad hoc specialiter delegatæ. Alexander VII, cit. constit. *Felici.* Vide verb. *Monialis art.* 3,*n.* 73, *ad* 78.

28 Item subduntur episcopis regulares quoad locutionem cum monialibus, etiam sibi subjectis, et si sine legitima licentia cum illis loquantur, possunt ab ipsis puniri. *S. congr. Conc. approbante Sanctissimo* in duobus resolutis dubiis allatis *supra num.* 7. Vide verb. *Moniales art.* 4 ubi plura alia asseruntur ad id decreta.

29 Item regulares subduntur episcopis in iis, quæ concernunt clausuram monialium, etiam sibi subjectarum, et si quoad hanc reperiantur delinquentes, possunt ab ipsis puniri. Vide verb. *Monialis art,* 3 ubi plura afferuntur decreta ad rem.

30 Item subduntur episcopis, si immunitatem ecclesiasticam violaverint, vel læserint. *S. congr. Immun. in Panorm.* 3 *februar.* 1537. Greg. XIV constit. incip. *Ex quo,* ubi cognitio immunitatis demandatur episcopis privative quoad omnes, et novissime *in Papien.* 28 *jul.* 1736. Vide verb. *Immunitas art.* 2. *per tot* et signanter *n.* 134 *ad* 136.

31 Item subduntur episcopis, si offendat ministros, et officiales curiæ episcopalis, et tunc possunt ab eis puniri, et carcerari, ut declaravit, et laudavit *S. cong. Episcop. et Regular. in Theatina* 26 *martii* 1692. *referente card. Caraffa.*

32 Item subduntur episcopis, si interdicta per episcopos promulgata non servent. *Clementin.* 1 *de sentent. excom.* concil. Trid. *sess.* 25 *de Regularib. c.* 11, et *S. congreg. Conc. in Cæsaraugustana Interdicti* 11 *Jun.* 1695. in qua declaratum fuit, milites Hierosolymitanos, sicut ceteros regulares, et exemptos teneri, et obligatos esse ad observantiam interdicti per archiepiscopum promulgati; non obstante allegata in contrarium consuetudine immemorabili.

33 Item subduntur episcopis, si in eorum personas delinquant, vel prælatorum jurisdictionem competentem impediant, ne munus suum exequantur; tunc enim possunt ab ordinariis puniri, et legitime coerceri, ut declaravit *sac. cong. Concilii*, et approbavit Gregorius XIII. apud Fagnan. *lib.* 1. *Decretal. in cap.* Grave gerimus 19 *de offic. ordinarii nu.* 76. per text. *in c.* 1. *de offic. delegat.* ibi: " Si eos manifeste cognoveris justitiam impedire," *et c.* 1. *de pœnis in* 6 ibi: " Si hac occasione sua impediatur jurisdictio. "

34 Item subduntur episcopis, si censuram canonis: *Si quis suadente* 29 *caus.* 17. *q.* 4. *vel* aliam a jure latam ob notorium delictum incurrerint; tunc enim possunt ab episcopis publice denunciari excommunicati, ut ab aliis vitentur, ut declarasse sacram cong. Concilii refert Fagnan. *loc. cit. n.* 75. et declaravit *eadem sacr. congr. novissime in Neapolitana* 18 *april.* 1693.

35 Item subduntur episcopis, si degant et delinquant extra claustra, textu expresso in concilio Trid. *sess.* 6. *de Reform. c.* 3. ibi: « Nemo regularis extra claustra degens, etiam sui ordinis privilegii prætextu, tutus censeatur quominus si deliquerit, ab ordinario loci, tamquam super hoc a sede apostolica delegato secundum canonicas sanctiones visitari, puniri, et corrigi valeat. »

36 Et hoc procedit etiam in regulari existente extra claustra ad erectionem monasterii de sui superioris licentia; cum licentia operetur solum, ut recte cum aliis notat Sperellus *decis.* 38. *n.* 19, ne committatur apostasia, non vero quin ab ordinario pro excessibus puniri possit, et sic resolvit S. cong. Concilii cum limitatione ut infra: " *Regularis manens extra claustrum de licentia superioris, etiam in domo destinata ad erectionem monasterii, nisi in dicta domo sit regularis observantia, ut saltem vivat sub superiore conventualiter, potest puniri ab ordinario.* " Ita testantur Genuens. *in Prax. c.* 59. *nu.* 2. Sperell. *l. cit. num.* 21. Fagnan. *lib.* 1. *Decretal. in cap.* Grave Gerimus 19. *De offic. ordinarii num.* 36. Barbos. *ad d. sess.* 6. *c.* 3. *n.* 1. et alii plures ibi citati.

37 Regulares degentes in parochialibus monasterio unitis non possunt puniri ab ordinariis, nisi delinquant circa curam animarum, et sacramentorum administrationem. Sic in causa canonici regularis Lateranensis respondit *sacr. cong. Concilii*, ut testatur Fagnan. *loc. cit. num.* 35. et sic resolutum fuisse *die* 3 *februarii* 1601 refert Barbosa *loc. cit. nu.* 4 et alii. Et ratio est, quia ipsi censentur degere intra claustra.

38 Regulares tamen de licentia suorum superiorum manentes in alio membro, seu grangia sui monasterii pro religionis servitio, si ibi delinquant, possunt ab ordinario puniri. Sic respondit *S. cong. Episc. et Regul. die* 27 *junii* 1654 *ad* 6 *dubium*, in quo quærebatur; *An ipsæ grangiæ et conversi in eis degentes subsint visitationi episcopi?* Et respondit, *ad* 6, *subesse.*

39 Regularis degens intra claustra, et extra cum scandalo populi delinquens, puniri debet a suo superiore, certiorato de punitione episcopo instante, alias puniri poterit ab ipso episcopo, textu expresso in concilio Tridentino *sess.* 25 *de Reform.* c. 14 ibi: « *Regularis non subditus episcopo, qui intra claustra monasterii degit, et extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, episcopo instante, a suo superiore intra tempus ab episcopo præfigendum, severe puniatur : ac de punitione episcopum certiorem faciat, sin minus a suo superiore officio privetur, et delinquens ab episcopo puniri possit.* » Vide infra *num.* 87.

40 Superior regularis ab episcopo admonitus non puniens, ut supra, talem regularem delinquentem, incurrit ipso facto privationem dignitatis, et officii per eum obtenti; et si illum impunitum ad alium conventum extra diœcesim transmiserit, tenetur eum revocare intra terminum ab episcopo præfigendum, sub pœnis privationis dignitatis, et inhabilitatis ad illa, et alia impoterum obtinenda, ac ulterius privationis vocis activæ, et passivæ ipso facto incurrendis, ad quas a solo romano pontifice restitui potest. Sic expresse statuit Clemens VIII constitut. incip. *Suscepti muneris*, in qua prope medium sic habet; « *Motu etc. omnibus, et singulis cujuscumque ordinis, et instituti regularium mendicantium superioribus in virtute sanctæ obedientiæ, et sub indignationis nostræ, ac privationis dignitatum, et officiorum per eos obtentorum, eo ipso incurrendis pœnis præcipimus, et mandamus, ut juxta prædictum decretum quilibet ipsorum regularium*, etc. » ubi tenorem decreti allegat, et infra subjungit : *Ceterum si superior in regularem delinquentem non animadvertit, quinimo si illum impunitum ad alia suorum ordinum loca extra diœcesim, ut præfertur, transmiserit, volumus, et simili motu, atque auctoritate decernimus, ut superior, instante episcopo intra terminum ab episcopo præfigendum, et sub eisdem indignationis nostræ ac privationis dignitatum, et officiorum obtentorum, nec non et sub inhabilita-*

tis ad illa, et alia imposterum obtinenda, ac ulterius privationis activæ, et passivæ vocis, ad quas a nemine, præterquam a nobis, et romano pontifice pro tempore existente, restitui possit, ipso facto similiter incurrendis pœnis, ipsum regularem delinquentem a loco, ad quem transmissus fuit, revocare, et in quo deliquit, constituere, seu sistere teneatur.

41 Et insuper addit pontifex, quod si superior regularis ipsum delinquentem revocare, ut supra, prætermiserit, ordinarius loci, ad quem transmissus fuerit, ab ordinario loci commissi delicti requisitus, vel alias de illius delicto informatus, tamquam sedis apostolicæ delegatus, decretum concilii exequi, et eum punire possit, ac debeat, ibi: « *Quod si hoc etiam facere prætermiserit, per præsentes similiter statuimus, ut ordinarius loci, ad quem regularis delinquens transmissus fuerit, super præmissis ab ipso ordinario loci, in quo deliquit, similiter requisitus, vel de illius delicto informatus, ut præfatur, tamquam sedis apostolicæ delegatus, prædictum concilii decretum omnino exequi, et in regularem delinquentem severe animadvertere possit, et debeat etc. non obstantibus, etc.* »

42 Regularis delinquens intra claustra, seu in ecclesia, vel monasterio sui ordinis cum populi scandalo, censetur et reputatur delinquere extra claustra; sic decrevisse *sacram congreg. Concilii* refert Fagnanus *loco cit. num* 69. et Sperellus *decis.* 38 *num* 15. ubi ad litteram refert decretum dictæ sacræ congregationis Concilii, quæ ad dubium : « *An regularis delinquens notorie in ecclesia, seu monasterio sui ordinis, in quo degit, ita ut populo scandalo sit. dicatur delinquere extra claustra, ut locus sit dispositioni concilii, cap.* 14 *de Regularibus, censuit delinquere extra claustra, si in ecclesia monasterii delinquit, nisi clausis portis ecclesiæ et solis regularibus in ea existentibus, fuerit commissum delictum; si vero intra claustra monasterii, vel ecclesiæ interioris delictum sit commissum, ex verbis concilii non videtur procedere dict. c.* 14. *quod expresse dicit extra claustra; tamen si scandalum sit notorium populo, ex idoneitate rationis idem videtur.* »

43 Episcopus potest procedere ad summariam informationem de delicto a dicto regulari extra claustra commisso; sic censuit *sacra congregatio Concilii* apud Donatum *Prax. rerum regular. tom.* 1. *part.* 2. *tract.* 1. *q.* 50. *n.* 11. quæ ad dubium. *Ad episcopus statim habita notitia delictorum possit capere informationem, et illam ad superiorem delinquentis remittere, ut nequeat de illo delicto ignorantiam præsumere?* Respondit, *posse.*

44 Quando regularis extra claustra delinquit, cum dubitatum fuerit : « *An detinendus sit carceribus ab episcopo, donec processus in curia episcopali conficiatur, eoque compilato, instante superiore, remittendus sit uno cum processu puniendus, vel potius non expectata compilatione processus, statim*

remittendus sit ad superiorem una cum iis probationibus, quæ habentur? « S.congregatio respondit: *Statim remittendum esse, etiam posito, quod superior nullam instantiam faceret.* Sic refert Donatus *loc. c. n.* 7. Fagnan. *loc. c. n.* 69. et alii plures.

45 Regularis deprehensus in delicto, ubi timetur de fuga, potest juxta Tridentin. *sess.* 25. *de Reform. c.* 6. ab episcopo capi per suos ministros, et recta duci ad suum superiorem cum instantia, ut intra certum tempus eum puniat, et de punitione ipsum certiorem faciat, juxta Trid. *sess.* 25 *de Reform. cap.* 14. Matthæucci *Officialis curiæ c. ult. sub. n.* 22, *in fine*, et de quolibet in casibus a jure permissis firmant Antonelli *de Regimin. eccles. lib.* 7. *c.* 18. *n.* 3. Sperell. *decis.* 38. *n.* 13. Piasecius *Prax. episcop. part.* 2. *cap.* 3. *art.* 7. *sub n.* 23. Panimoll. *Decis.* 84. *ad not.* 4. *n.* 4. et alii passim.

46 Regulares, autem superiores, qui ad præscriptum concilii tenentur facere certiores episcopos de punitione regularium extra claustra delinquentium, non satisfaciunt faciendo verbo hujusmodi certiorationem, sed in scriptis facere debent. *S. cong. Concil. in Lucana* 14. *decemb.* 1630, quam referunt Tamburinus *de Jure abbat. tom.* 3. *disp.* 5. *q.* 11. *n.* 64. Barbosa *in Summa apostolic. decis. verb. Regularis delinquens n.* 5 et alii.

47 Regularis, qui sine obedientialibus sui superioris a suo conventu recesserit, et repertus fuerit, potest ab ordinariis locorum puniri, textu expresso in concilio Trid. *sess.* 25 *de Regularibus c.* 4. ibi: « *Nec liceat regularibus a suis conventibus recedere, etiam prætextu ad superiores suos accedendi, nisi ab iisdem missi, aut vocati fuerint. Qui vero sine prædicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab ordinariis locorum, tamquam desertor sui instituti puniatur.* » Vide tamen dicta sub verbo *Apostata*.

48 Regulares incedentes per civitatem, et loca sine socio, vel de nocte, aut indecenter vestiti, et sine debita modestia religiosa, possunt per episcopum in carceribus mancipari tamquam delinquentes extra claustra; servata tamen forma concilii Tridentini *sess.* 25. *c.* 14 *de Reform. regular.* Sic. *sacr. cong. Episcop. in Andrien.* 15 *decemb.* 1584 *et in Ravennaten.* 12 *sept.* 1594. *Apud Monacel. tom.* 1. *tit.* 6. *Formul.* 20. *n.* 131.

49 Regulares deferentes publice arma de mandato episcopi possunt coerceri. *Sacr. cong. Concil. in Turritana* 3. *februar.* 1635. *apud Monacell. tom.* 2. *tit.* 15. *Formul.* 8. *nu.* 43. ubi affert decretum per extensum.

50 Regulares subduntur episcopis quo ad expositionem solemnem SS. Sacramenti; cum non possint illud solemniter exponere sine licentia ordinarii, et nisi ex causa publica, ut sæpius declaraverunt sacræ congregationes episcopor. Concil. et Rituum. Vide verb. *Eucharistia n.* 57. ubi afferuntur decreta,

51 Regulares subduntur episcopis quantum ad accedendum ad processiones publicas. Vide verb. *Processiones ad n.* 13.

52 Item subduntur episcopis quantum ad componendas controversias super præcedentia in processionibus. Concil. Trid. *sess.* 25. *de Regularibus c.* 13. Vide verb. *Præcedentia.*

53 Item subduntur episcopis quantum ad sacras imagines, et reliquias ponendas, et exponendas in suis regularibus ecclesiis, cum id debeat fieri prævia approbatione episcopi, concil. Trid. *sess.* 25. in *Decreto de invocatione, et veneratione, et reliquiis sanctorum, et sacris imaginibus.*

54 Item subduntur episcopis quantum ad publicationem indulgentiarum. Concil. Trident. *sess.* 21. *c.* 9. *de Reform. et S. congr. Concil. super d. c.* 9. *sess.* 21. *de Reform. apud Monacell. tom.* 2. *tit.* 16. *Formul.* 6. *n.* 8. ubi refert, quod ita etiam declaravit *sacr. congr. Immun. in Firmana* 13. *junii* 1703. *lib.* 3. *decret. Vallem. pag.* 494.

55 Item subduntur episcopis quantum ad erectionem confraternitatum ; ipsas enim nequeunt ulli regulares erigere, et instituere, nisi de consensu ordinarii. Clemens VIII constitut. 125. incip. *Quæcumque.* Vide verb. *Confraternitas.*

56 Item subduntur episcopis, quantum ad susceptam administrationem confraternitatum, vel hospitalium ; cum possit episcopus eos cogere ad reddendam rationem administrationis, et culpabiles repertos ad juris præscriptum punire, juxta concil. Trid. *sess.* 22. *c.* 8 *et* 9. ut expresse declaravit *sacra congregatio Concilii* apud Fagnan. *loc. c. n.* 47.

57 Item subduntur episcopis quoad confraternitates laicorum in suis regularibus ecclesiis existentes, cum possit episcopus eas visitare, et ab ipsarum administratoribus rationem administrationis exigere ad præscriptum *cit. c.* 8 *et* 9, *ejusdem sess.* 22. Non potest tamen earum capellas, icones aut altaria visitare, nisi quatenus confratrum administrationem concernunt. *S. cong. Concil.* apud Fagnan. *loc. cit. n.* 48. Vide verb. *Confraternitas,* et verb. *Visitatio.*

58 Item subduntur episcopis regulares parochi, seu curati quoad ea, quæ concernunt curam animarum. Concil. Trid *sess.* 25. *de Regularibus c.* 11. Gregorius XV. constitut. incip. *Inscrutabilis.*

59 Dummodo ecclesia parochialis non sit illius conventus, in quo generalis ordinis habet residentiam ordinariam, quia ipsa gaudet exemptione a jurisdictione ordinarii ; concil. Trid. *cit. sess.* 25. *de Regul. c.* 11. *et sac. cong. Conc. in Lauden. jurisdictionis* 1. *decemb.* 1691, in qua plene articulo discusso, et partibus informantibus fuit resolutum citatam bullam Greg. XV. incip. *Inscrutabilis,* non derogasse privilegio *c.* 2. *sess,* 25. *de Regul.* favore generalium ordinum concesso, *apud Monacell. part.* 1. *tit,* 6. *Formul.* 20. *n.* 14.

60 Item subduntur episcopis regulares parochi quoad accessum ad synodum, et conferentias casuum, si enim ipsi renuant accedere ad synodum, et congregationem casuum conscientiæ, possunt ab episcopo compelli juris remediis. S. *congreg. Concilii in dicta Lauden. in responsione ad octavum, et nonum, confirmata* 20 *septemb.* 1692 *juxta resoluta in Justinopolitana* 24 *septemb.* 1639. *in Comen.* 16 *decemb.* 1645 *et in Forosempronien.* 3. *septemb.* 1650.

61 Non possunt tamen episcopi compellere regulares ad accedendum ad conferentias casuum conscientiæ, neque in conventibus suppressis, et postea restitutis, in quibus non degunt de familia duodecim religiosi. Sic expresse respondit *sacr. congr. Episcop. et Regular.* ut infra : « *Cum conventus suppressi, et postea restituti in quibus non degunt de familia duodecim religiosi, sint vigore decreti* ut in parvis *Innocentii X subjecti visitationi, correctioni, et ordinariæ jurisdictioni ordinariorum locorum, contigit dubitari : An religiosi confessores, et non parochi in hujusmodi conventibus degentes compelli possint ab eisdem ordinariis, ut accedant ad conferentias casuum conscientiæ?*

« *Proposito hoc dubio in sacr. congr. super Statu regularium habita in palatio Vaticano die* 15 *januar.* 1682. *Em. PP. censuerunt ordinarios locorum posse quidem hortari, non autem compellere religiosos confessores non parochos ad accedendum ad conferentiam casuum conscientiæ.* »

62 Item regulares subduntur episcopis quoad renunciationes et obligationes novitiorum, quæ nullæ decernuntur, nisi fiant cum licentia episcopi, vel ejus vicarii infra duos menses ante professionem. Conc. Trid. *sess.* 25. *de Regular. cap.* 16.

63 Item subjiciuntur episcopis quoad restituendas novitiis abeuntibus ante professionem res omnes, quæ ipsorum erant ; et possunt ii, ad quos spectat, ab episcopis per censuras ad id compelli. Conc. Trident. *cit. sess.* 25. *de Regular. cap.* 16.

64 Item subjiciuntur episcopis quoad observandos dies festos in diœcesibus legitime præfixos. Concil. Trid. *cit. sess.* 25. *de Regularibus cap.* 12. Vide verb. *Festa.*

65 Item subjiciuntur episcopis quoad eis præstanda debita obsequia, et baldachinum erigendum in eorum accessu ad ecclesias regulares pro ibi celebrandis pontificalibus, et hujusmodi. Si enim regulares id renuant, potest episcopus statim absque alia monitione interdictum ecclesiæ indicere, et denunciare. *Sacr. congr. Conc. in Venafrana interdicti* 26. *januar.* 1697. Vide verb. *Baldachinum n.* 6. ubi ad id affertur decretum jussu Clementis VIII editum.

66 Moniales tamen regularibus subjectæ non tenentur erigere baldachinum episcopo clausuram visitare volenti, sed sufficit stratum præparare. *Sacr. cong. Conc.* 19. *januar.* 1686. Vide verb. *Baldachinum n.* 7.

67 Regulares subjiciuntur episcopis quoad delicta commissa circa personas intra septa, aut circa clausuram, vel bonorum administrationem monasteriorum monialium, etiam regularibus subjectorum. Gregor. XV. constit. incip. *Inscrutabili.* Vide *supra n.* 5 *et* 6.

68 Item subjiciuntur episcopis, si ab ipsis moniti, sepulturas sub altaribus, et pradellis in eorum ecclesiis constructas nolint, aut differant expurgare, et illas muro obstrui facere, et replere. Vide verb. *Altare num.* 48. ubi ad id dantur decreta.

69 Item subjiciuntur episcopis, et censuris ecclesiasticis possunt coerceri, si ecclesiastica, et sacra paramenta benedicant pro usu aliarum ecclesiarium, non suarum ; sic expresse *sac. congr. Rit. decreto* 18. *ex decretis generalibus emanatis* 27 *septembr.* 1659 *et* 20 *jul.* 1660 *quoad hoc confirmatis, et approbatis ab Alexandro VII.*

70 Item subjiciuntur episcopis quoad exequendam testatoris voluntatem, et reddendam rationem, si illis fuerit commissa executio, seu distributio redituum, aliorumque bonorum hæreditatis. *Clementina Religiosis, de testament*, Fagnan. in *c. Tua nobis, de testament. n.* 19 et 49 Passerin. *de Stat. homin. tom.* 2. *qu.* 186. *art.* 2. *n.* 121. Capon. *discept.* 65 *n.* 7. ubi dicit conclusionem esse veram, etiam si testator rationem exigi prohibuisset; Tamburin. *de Jure abbat. tom.* 1 *disp.* 15. *q.* 7. *n.* 23. Ventrig. *in Prax. part.* 1, *adnot.* 48. §, *unicum.* 116. Monacell. *t.* 1. *Adnot. in appendic. ad constitut. Gregorii XV de exemptor. privileg. n.* 3. Vide verb. *Administratio Administrator.*

73 Item subjiciuntur episcopis quoad tenendam lampadem accensam ante altare, in quo est tabernaculum SS. Sacramenti : transgressores enim possunt ab episcopis auctoritate sibi delegata a concilio Tridentino *in decreto de Evitand. in celebrat. miss. sess.* 22. Nec sufficit tenere lampadem accensam in choro, sed tenenda est ante et prope altare tabernaculi SS. Sacramenti, prout *sacr. congr. Rit. die* 22 *augusti* 1699 respondit generali Capuccinorum, qui dubium proposuerat. *Monacell. loc. cit. num.*1 *et* 2. *Matthæucci. Official. curiæ cap.* 19. *num.* 68.

72 Item potestatem, et jurisdictionem habent episcopi supra regulares in spectantibus ad venerationem eorum, qui cum sanctitatis opinione, vel fama martyrii ex hac vita migrarunt. Urbanus VIII constitut. incip. *Cælestis Hierusalem.*

73 [illegible] possunt episcopi, etiam contra regulares asserentes Bea-

tam Virginem conceptam esse cum peccato originali. Gregorius XV const. incip. *Sanctissimus.*

74 Item procedere possunt episcopi etiam contra regulares missas celebrantes, et confessiones sacramentales excipientes, antequam fuerint promoti ad sacrum presbyteratus ordinem. Clemens VIII constit. incip. *Etsi alias*, Urbanus VIII const. incip. *Apostolatus.*

75 Regulares subjiciuntur episcopis quoad judices conservatores; si enim conservatores non elegerint, aut electis uti ausi fuerint aliter, quam juxta formam præscriptam a Gregorio XV constit. incip. *Sanctissimus*, ad annum conservatore carere debent, et interea eorum causæ coram locorum ordinariis cognosci, et definiri debent. Vide verb. *Conservatores art.* 2. *n.* 35.

76 Regulares autem intra claustra degentes, et habentes suos conservatores legitime electos in causis civilibus conveniri solum possunt coram dictis conservatoribus, vel coram suis superioribus, non autem coram ordinariis, seu episcopis; sic pluries decrevit *S. congr. Concil.* et expresse statuit et confirmavit Paulus V constitut. 34 incip. *Religiosorum.* Vide verb. *Conservatores* per totum ubi abunde ad rem.

77 Regulares subjiciuntur episcopis, si in numero a constitutionibus apostolicis præscripto in conventu non commorentur, et regularem disciplinam non servent. Urban. VIII constit. incip. *Cum sæpe contingat* Innocent. X constit. incip. *Instaurandæ*, et decret. incip. *Utut in parvis*, Innocent. XIII const. incip. *Nuper.* Vide verb. *Conventus art.* 2. ubi afferuntur multa ad rem.

78 Regulares, quamvis ordinarie nequeant ab episcopis censuris coerceri propter amplissima eorum privilegia, quibus est eis concessum, ne sine sedis apostolicæ auctoritate possint a quopiam excommunicari, suspendi, et interdici; tamen in casibus particularibus, in quibus vigore concilii Tridentini vel constitutionum apostolicarum datur episcopis facultas coercendi, corrigendi, et puniendi regulares, ab ipsis possunt censuris coerceri, nisi habeant ad id privilegia, sibi concessa, vel confirmata post concilium Tridentinum. Sic Pignatell. *tom.* 3. *consult.* 46, *n.* 11 *et seqq. ad* 18 ubi plura refert decreta sacræ congregationis, et signanter *sub n.* 12 ubi refert, *sacram congregat. Concil. die* 17 *julii* 1627 negotio mature discusso, respondisse, posse episcopos pœnis sibi bene visis, etiam censurarum, compellere quoscumque regulares recusantes, etiam monachos, et quomodolibet exemptos ad processiones publicas et consuetas accedere, atque illis interesse : *Non obstantibus quibuscumque privilegiis, consuetudinibus, vel prescriptionibus, etiam immemorabilibus ; privilegiis tantum apostolicis sacro concilio Tri-*

dentino posterioribus minime sublatis, et sub n. 17. refert, *S. congr. Rit. in Tarentinæ die* 3 maii 1742, ad dubium : *Utrum teneantur fratres Minores reformati S. Francisci accedere ad processiones rogationum et S. Cataldi patroni, et an censuris compelli possint;* respondisse, observari debere decreta antiqua sacræ congreg. Concilii, scilicet regulares pœnis arbitrariis cogi posse ab episcopo ad interveniendum prædictis processionibus : *Nisi docuerint de apostolicis privilegiis contrarium disponentibus, quæ sint concilio Tridentino posteriora.*

79 Et quod episcopi possint contra regulares censuras relaxare in casibus, quibus eos impedirent, ne suæ dignitatis insignia, et præeminentias haberent, ipsisque debita obsequia in accessu ad suas ecclesias denegarent, statuit *S. congr. Concil. in Venafrana interdicti* 26. *januar.* 1679 *Et sacra Rit. congr. in Camerinen.* 21 *februar* 1699, et sæpe alibi in consimilibus casibus.

80 Et quod in dictis particularibus casibus possint episcopi contra regulares censuras relaxare, non tamquam judices, sed tamquam juris executores, ut dicunt Lauret. de Franch. *Part.* 2. *quæso* 30 *n.* 1. et Monacell. *tom.* 4. *Supplement. ad. tom.* 2. *n.* 365. tenent Ricc, *in Prax. rer. for. ecclesiast. part.* 2. *resolut.* 210 *n* 1. *limit.* 2 *et collect.* 4050. Leo *Thesaur. for. eccles. p.* 1. *cap.* 8. *n.* 18. *part.* 4. *cap.* 2. *nu.* 143. Pax Jord. *Elucubrat. t.* 2. *lib.* 7. *tit.* 14. *n.* 59. Ventrig. *in Prax. part.* 1. *annotat.* 48. §. *Unic. n.* 106. Gallemart. *Collect. in concil. Trid. sess.* 15. *cap.* 13 *remiss. verb. nota ex Farinacio*, Romaguer, *ad synod. Gerund. lib.* 3. *tit.* 10. *cap.* 1. *n.* 10. Monacell. *tom,* 1. *tit.* 8. *Formul.* 20. *n.* 26 *et tom.* 3. *tit.* 3. *formul.* 6. *n.* 13. Card. de Luca *de Jurisdict. discurs.* 29 *num.* 7 *et discurs.* 104. *n.* 2. *et in Miscellan. disc.* 15. *nu.* 8. ubi dicit, quod iste punctus post emanatam constitutionem Gregor. XV incip. *Inscrutabili*, non mereatur amplius discursum. Passerinus præclarissimæ religionis Prædicatorum doctissimus filius *de stat. homin. tom.* 3. *quæst.* 189 *art.* 10 *insp.* 10. *n.* 768. sic expresse dicit : *Sed ubi episcopis datur facultas coercendi, corrigendi, et puniendi regulares, datur etiam facultas eos excommunicandi, et sic v. gr. dum, sess.* 25. *c.* 13 *datur episcopis facultas compellendi eos ad processiones, datur etiam facultas eos compellendi per censuras*, Barbosa *in Concil. Trident. sess.* 25. *de Regularibus c.* 15. *n.* 19 *et de Offic. et Potest. episcop. part.* 3. *alleg.* 78. *n.* 25. cum pluribus ibi citatis dicens in fine non semel sic censuisse *sacram. congr. Rit. ut in Ferrarien.* 27 *jul.* 1609, *in Chilensi in Indiis* 27 *februar.*, *et* 15 *maii* 1610, *et in Toletana* 4 *jun.* 1615.

81 Non posse autem regulares ab episcopis censuris distringi, resolvunt multi, quos refert, et sequitur Sanchez *de Matrim. lib.* 5. *disp.* 35. *nu.* 28.

Donatus *Prax. rerum regul. tom.* 1 *tract.* 13 *quæst.* 24. Idem tenent Henriquez in *Summa l.* 7. *cap.*|25. § 7. P. Emmanuel in *Summa tom.* 1. *cap.* 74. *n.* 4. Villalobos in *Summa tom.* 2 *tract.* 35 *difficult.* 5. *n.* 17. Porteil in *Addition. ad dub. regular. verb. episcopus n.* 7, et verb. *Processiones n.* 1. Hieronymus Roderic. in *Compend. qq. regular. resolut.* 118 *num.* 1, Scott. in *Bullis selectis, bulla* 393. *vers. Si autem,* Laurent. de Peyrinis *tom.* 1. *in constitut. sui ordinis Minor. constit.* 2. *Sixti IV n.* 60. Tamburin. *de Jure abbat. tom.* 1 *disp.* 19. *q.* 7. *nu.* 7. Diana *Part.* 3 *tract.* 2 *resolut.* 76, et dicit decisum, Quaranta verb. *Præcedentia in fine;* et sic tamen plurimi alii acriter defendentes, quod episcopi non possint censuris adversus regulares exemptos procedere, ex quo nulla adsit religio, quæ sive per specialem concessionem, sive per communicationem tale privilegium habere non prætendat.

82 Unde pendente lite super exhibitione privilegii, non potest episcopus regulares turbare in sua possessione exemptionis, neque in eos poterit suam jurisdictionem exercere, et in dubio an jurisdictio pertineat ad episcopum, non potest episcopus in causa cognoscere, ne sit judex in propria causa, sed examen et decisio sunt de reservatis sedi apostolicæ, juxta constitutionem Clementis X incip. *Superna,* et interim abstinendum esset a censuris, admonitis superioribus, et certiorata sacra congregatione de excessu regularium, ut accidit *in una Forolivien die* 6 *mart.* 1692, ubi cum patres Camaldulenses occasione accessus episcopi ad eorum ecclesiam tempore expositionis venerabilis Sacramenti, illum nec in ingressu, nec in egressu associare, neque naviculam incensus, ut moris erat (licet a ministro cæremoniarum moniti) ut thurificare posset Sanctissimum, porrigere voluissent; et episcopus de his sacram congregationem reddidisset instructam, hæc ad relationem cardin. Petrucci *die* 6 *mart.* 1692 rescripsit : « *PP. Carmldulenses teneri præstare episcopo accedenti ad eorum ecclesiam omnes actus reverentiales, et ad mentem.* Mens est, *quod P. abbas accedat ad episcopum, et exprimat obsequia, tam suo, quam religiosorum suorum nomine;* » sic refert Monacell. *tom.* 4. *Supplement. ad tom.* 2 *n.* 356.

83 Ceterum quamvis regulares exempti sint a jurisdictione ordinariorum, et sic non teneantur comparere, dum ab eis citantur; tamen id non procedit, cum in citatione exprimitur causa, quæ fundat super regulares jurisdictionem, si non ordinariam, saltem delegatam, in aliquibus particularibus casibus, ut si citentur ad comparendum, et reddendam rationem, quare ad processionem non accesserint; tunc enim tenentur comparere, cum ad id assistat episcopis dispositio concilii Tridentini *sess.* 25 *de Regularibus c.* 13. eisdem tribuens jus compellendi regulares ad processiones

alias poterunt episcopi contra ipsos contumaces censuras relaxare, declarando ad removendum omne dubium validitatis censurarum, quod id faciunt tamquam sedis apostolicæ delegati, ut sic declarandum esse censuit pluries in similibus *sac. congreg. Concilii* apud Fagnan. *in c. quoniam n.* 35. *de officio delegati, et in c. nullus n.* 32. *de paroch.* et recenter ita faciendum esse respondit *eadem sac. congr. Concilii in Militen.* 17 *novemb.* 1703 *ad tertium* apud Monacell. *tom.* 2 *tit.* 3 *Formul.* 6 *n.* 5. Vide Ursayam *tom.* 2 *par.* 1 *disceptat.* 15. *et tom.* 6. *disceptat.* 36 *per tot.* ubi multa adducit ad rem, Donat. *Prax. rer. regul. tom.* 1. *tract.* 13 *quæst.* 17 Panimoll. *decis.* 84. *n.* 3.

84 Concludendum igitur est, quod licet regulares exempti sint a jurisdictione episcoporum, non sunt tamen exempti a stricto debito exhibendi eis omne obsequium, et reverentiam, quia jus reverentiale eis per exemptionem non fuit ablatum, ut recte dicunt card. de Luca *de Regularib. discurs.* 1. *num.* 31. *et discurs.* 64 *n.* 15. Passerin. *de Statib. homin. tom.* 3. *quæst.* 189 *art.* 19 *disp.* 10 *n.* 798. Monacell. *tom.* 3 *tit.* 3 *Formul.* 6 *n.* 20 et alii passim, et declaravit *sacra congreg. Episcop. in Foroliv.* 6 *martii* 1692. et habetur ex constit. 26 Leonis X incip. *Dum intra*, in qua § 24, pontifex ipse sic regulares alloquitur : « *Eosdem insuper fratres in virtute sanctæ obedientiæ monemus* (*hoc est præcipimus*) *ut eosdem episcopos loco sanctorum apostolorum subrogatos pro debita, et nostra ac apostolicæ sedis reverentia, congruo honore, et convenienti observantia venerentur.* »

85 Et episcopos sic monet : *Ipsos quoque episcopos hortamur, et per viscera misericordiæ Dei nostri requirimus, ut fratres ipsos affectu benevolo prosequentes, caritative tractent, ac benigne foveant, seque illis minime difficiles, aut duros, vel morosos, sed potius faciles, mites, propitios, piaque munificentia liberales exhibeant, ac in omnibus prædictis, tamquam in agro dominico cooperatores, eorumque laborum participes, prompta begnignitate recipiant, eorumque jura omni cum caritate custodiant, atque defendant.* Et Clement. unica *Frequens et assidua, de excessibus prælatorum* enunciatis triginta gravaminibus illatis per prælatos §. *Verum*, episcopos non hortatur, sed eis præcipit, *ut viros religiosos exemptos, privilegiatos, et non exemptos mendicantes, et non mendicantes caritative tractent, et foveant, et sua jura et privilegia inviolabiliter eis servent.*

86 Et ibidem § *Verum* sive episcopis, sive regularibus exemptis, et non exemptis in mutuæ debitæ dilectionis argumentum, sensus, et voluntas concilii generalis Viennensis per infrascripta præcisa verba exhibetur, ibi : « *Verum, quia una est regularium et sæcularium prælatorum et subditorum exemptorum, et non exemptorum universalis ecclesia, extra quam nullus omnino*

salvatur, quorum omnium unus est dominus, una fides, et unum baptisma, decet, ut omnes, qui ejusdem sunt corporis, unius etiam sint voluntatis, et sicut fratres ad invicem vinculo caritatis sint adstricti, decet igitur, ut et prælati, et alii tam exempti, quam non exempti suis juribus sint contenti, et alter in alterius injuriam non prosilat, seu jacturam. Hæc in dicta *Clementis unica, Frequens et assidua, de excessibus prælatorum.* »

87 Ad dicta *supra n.* 39 addenda sunt quæ tradit P. Gaudentius de Janua in suo Opere ann. 1748 Romæ impresso, *de Visitatione, c.* 4. *dubit.* 10 *n.* 46. ibi : Nihilominus pro regularibus omnibus absque distinctione inter mendicantes, et non mendicantes, si intra claustra vivant, quamvis extra claustra quomodolibet delinquant ; quod subsint jurisdictioni, et punitioni superiorum privative, nisi, quatenus negligentibus superiorbus sontes punire scandalosos, jurisdictio ad episcopos devolvatur in terminis concilii Tridentini ; adest apertus motus proprius Benedicti san. memor. XIII editus quidem ad dirimendas lites quoad hoc inter Neapolitanum nuncium et abbatem generalem pro tempore Montis Virginis; sed pro omnibus regularibus, et episcopis, ex altera parte, vigorem eumdem præ se ferentes, ut evidens erit legenti ; sic infra :

BENEDICTUS XIII.

88 Motu proprio etc. Exponi nuper nobis fecerunt don Gallos Galluccio abbas generalis, et abbas don Ramirus Girardus, procurator generalis ordinis sancti Benedicti congregationis Montis Virginis, quod licet monachi omnes ejusdem ordinis degentes in monasteriis, sub obedientia abbatis cum aliis requisitis, per concilium Tridentinum statutis, etiamsi deliquerint extra claustra, juxta privilegia ipsis concessa per felic. record. Urbanum. IV prædecessorem nostrum, in litteris apostolicis expeditis *sub datum Idibus januarii* 1264 et dispositionem ejusdem concilii *capit.* 14. *sess.* 25 *de Regularibus*, sint prorsus immunes, et exempti a jurisdictione nostri in regno Neapolitano reverendissimi nuncii, et subjecti privative tantummodo eorum superioribus regularibus, prout ita declaravit cameræ nostræ generalis auditor per sententiam definitivam in contradictorio judicio, promulgatam contra curiam nunciaturæ die 27 novembris 1671 novas nihilominus modernus nuncius excitavit prætensiones procedendi contra eosdem regulares , sic exemptos, vigore facultatum sibi concessarum per felic. record. Clementem PP. VIII nostrum pariter prædecessorem in litteris apostolicis in forma brevis expeditis diebus 19 junii 1591. et 22 augusti 1601, sub inani etiam supposito, quod hujusmodi facultas ipsi delegata quoque appareat per idem concilium Tridentinum in supra relato *c.* 14 ac ex observantia, approbata

per felic, record. Clementem undecimum nostrum similiter prædecessorem, non attenta remissione hujusmodi controversiæ præcedenter facta ad nostram ejusdem concilii Tridentini congregationem, et alteram particularem specialiter delegatam; subortis proinde variis casibus, et remissa illorum eidem nuncio causa, propterea in eadem congregatione concilii, nec in altera particulari priori loco, ut supra delegata, discussa, neque proposita extiterit. Agnoscentes modo ipsi oratores, non leve sibi inferri præjudicium per continuationem jurisdictionis prædicti reverendissimi nuncii in detrimentum eorum exemptionis prædictæ, preces nobis humiliter porrexerunt, ut pro majori eorum tranquillitate controversiam hujusmodi ad nos avocare, et privilegia prædicta juxta sensum ejusdem concilii Tridentini, et litterarum apostolicarum interpretari, ac declarare, et sic ab ulterioribus vexationibus, desuper usque modo passis eximere, liberare, et alias opportune prout juris fuerit, apostolica auctoritate providere dignaremur. Nosque ut dissensiones, et jurgia inter ecclesiasticos, omni celeritate dirimantur, et ad hoc, ut privilegia per romanos pontifices concessa, contrario sensu non explicentur, auditis prius per reverendissimum episcopum Himeriensem nostrum modernum auditorem, de speciali nostro mandato, partibus prædictis, earumque procuratoribus, et defensoribus, tam in voce, quam in scriptis, visisque, et consideratis omnibus, de jure videndis et considerandis, juxta illius sensum nobis relatum, et cum illius voto, privilegia prædicta et exemptionem respective declarare, litesque hujusmodi terminare, prout infra decrevimus. Literas itaque apostolicas Urbani papæ IV favore dictæ congregationis Montis Virginis, et respective Clementis VIII favore prædicti reverendissimi nuncii, privilegia et facultates in eis, aliisque posterioribus literis etiam Clementis XI concessas et expressas, dispositionem quoque prædicti conc. Tridentini, in enunciato *cap.* 4 et alia quæcumque decreta in præmissis citata, et quomodolibet edita, et acta desuper gesta, totumque, et integrum statum, et merita causæ in eadem congregatione concilii, altera particulari congregatione, et alio quocumque judice particulari pendentis; rationes itidem utrique parti competentes singulariter præsentibus pro expressis de verbo ad verbum habentes, causam, et litem prædictam in statu et terminis, in quibus ad præsens reperitur cum omnibus et singulis illius emergentibus, dependentibus, adnexis, et connexis, et cum clausula *quam et quas etc.* ad nos avocantes, illam penitus extinguimus et abolemus, ac partibus prædictis perpetuum silentium imponimus. Et auctoritate nostra apostolica declaramus et decernimus, privilegia concessa dicto rever. nuncio in regno Neapolitano per eumdem Clementem VIII non aliter intelligi posse et debere, quam de facultate procedendi contra *cujuscumque ordinis regulares exemptos*, *qui tamen sint devii et errantes*, *et*

extra claustra in delicto deprehenduntur, nullam propterea ipsi competiisse, neque competere facultatem procedendi privative, neque cumulative contra *monachos et regulares degentes in conventibus et monasteriis sub obedientia abbatum ; aliorumque superiorum*, et cum aliis requisitis per concilium Tridentinum præscriptis; respectu enim istorum, *totam jurisdictionem privative spectare ad superiores regulares* etiamsi monachi, sive regulares *extra claustra ita notorie deliquerint, ut populo scandalum publice oriatur*, juxta dispositionem concilii Tridentini in supra relato capitulo, et in casu negligentiæ superiorum regularium esse locum præfixioni termini, sicut ab episcopo, ita etiam a rever. nuncio, ut eo transacto, jurisdictio ad ipsum devolvatur, juxta censuram concilii prædicti. Verba autem illa in primo dicto privilegio Clementis VIII: *Ut iidem regulares sciant, se præter eorum superiorum correctionem nostram etiam animadversionem incursuros* : intelligi semper debere de regularibus deviis, et errantibus et extra claustra vitam degentibus, non obstante quacumque asserta contraria observantia. Literas apostolicas proinde ejusdem Urbani IV et exemptiones ibidem concessas eidem congregationi Montis Virginis, ac sententiam per eumdem cameræ apostolicæ generalem auditorem in criminalibus latam prædicta die 22 nov. 1671 in qua pronunciatum extitit ; rever. nuncio nullum jus competiisse, et competere cognoscendi causas civiles, criminales, et mixtas, prædictorum monachorum congregationis Montis Virginis intra claustra cum requisitis concilii degentium, etiam extra ea delinquentium, et in delicto deprehensorum, esseque privative subjectos eorum superioribus regularibus, juxta exemptionem ipsorum favore concessam in præcitatis literis Urbani IV et concilii Trid. prædicto in omnibus, et omnia confirmamus, approbamus, convalidamus et renovamus, suumque debitum sortiri effectum, ac omnimodæ executioni perpetuis futuris temporibus demandari apostolica auctoritate statuimus. Decernentes præsentibus nostris literis, licet non admissis, neque in camera nostra registratis, nullo unquam tempore opponi de subreptione, obreptione, vel alio quovis vitio, aut defectu voluntatis, vel intentionis nostræ, etiam ex eo, quod modernus nuncius in regno Neapolitano, ejusque promotor fiscalis, et alii quicumque in præmissis forsitan interesse habentes, vel habere quomodolibet prætendentes, ad hoc vocati, citati, vel auditi non fuerint, vel ex alia quavis causa quantumvis valida, legitima, urgenti, et juridica, etiam necessario exprimenda, notari, impugnari, invalidari, ad terminos juris reduci, ac in jus et controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque juris, et facti, vel gratiæ remedium impetrari posse, sicque, et non aliter per quoscumque judices ordinarios, commissarios, delegatos, tribunalia, collegia, etiam S. Romanæ ecclesiæ cardinalium congregationem par-

ticularem, ut supra deputatam, a latere legatos, nuncios apostolicos, causarum palatii apostolici auditores, et alios quavis auctoritate fulgentes, semper judicari, et definiri debere; sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate; ac ex nunc irritum, et inane, nulliusque roboris et efficaciæ declarantes quidquid secus super iis, et circa ea quavis auctoritate, etiam a nobis, vel successoribus nostris pro tempore existentibus contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, nec non dictis constitutionibus Clem. VIII ut supra editis, et quacumque asserta contraria observantia; altera constutio fel. rec. Pii IV pariter prædecessoris nostri de registrandis, regula concellariæ nostræ apostolicæ de jure quæsito non tollendo, conciliaribus etiam universalibus et provincialibus, et quibusvis aliis constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, per nos et Rom. pontifices prædecessores, sub quibusvis tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, ac insolitis clausulis irritantibus, et aliis decretis in genere, et in specie, etiam iteratis vicibus et motu simili concessis, approbatis, aut innovatis legibus, statutis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis reformationibus, consuetudinibus, cæterisque aliis in contrarium quomodolibet disponentibus, quibus omnibus et singulis, ac omnibus aliis hic non expressis, de quibus specialis, specifica, expressa etc. ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut quævis alia specificatio habenda, vel aliqua alia forma ad hæc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice duntaxat, harum serie, motu, et scientia similibus specialiter et expresse derogamus, ac plene, et sufficienter derogatum esse decernimus et declaramus.

Datum Romæ ex nostro palatio apostolico Vaticano hac die 26 mart. 1729.

89 Sed an in constitutione Clementis XII incip. *Romanus pontifex* 7 kal. apr. 1732 (quam ad literam retulimus supra ad verb. *Privilegium art.* 3 *n.* 64) cum aliis recensitis ibi bullis fuerit hic motus proprius Bened. XIII revocatus, ut concilio Trid. non omnino conformis, dubitari potest.

90 Insuper facultas puniendi regularem vere degentem, et prævaricantem scandalose extra claustra, competit sane episcopo, ut præmissum est *n.* 43 *verb. Insuper*, sed cumulative cum superiore ejusdem delinquentis, non privative, quia privativam non exprimit Tridentinum, nec aliud sedis apostolicis decretum, ut advertit Lauretus de Franchis *Prima controv. in addit. n.* 117, allegans plurimos; ita quod regularis ipse superior posset causam utique prævenire, et contra captum, sive habitum reum procedere, juxta constitutiones ordinis puniendum. Anacletus Reiffenstuel *cit. n.* 115 *de Offic. jud. ord.* sequens Lauretum. *Hæc ille expressis verbis.*

91 Regulares curam subditorum sæcularium assumere nequeunt absque consensu, et approbatione episcopi. Bened. XIV tom. 1 const. 109 incip. *Firmandis* § 11.

92 Regulares curam animarum exercentes, vel sacramenta quovis titulo administrantes, subsunt in his jurisdictioni, visitationi, et correctioni episcoporum. Idem *ib.* § 2 et 3.

93 Quod intelligitur de jurisdictione ordinaria, non vero delegata. Idem *ib.* § 12.

94 Regularis parochus exemptus est a visitatione et correctione episcopi in his, quæ pertinent ad observantiam disciplinæ regularis. Idem *ib.* § 8.

95 Non autem in his, quæ spectant ad mores et exemplarem vivendi rationem. Idem *ib.* § 8.

96 Multoque minus in his, quæ pertinent ad ipsius officium parochiale. Idem *ib.* § 9.

97 Regularis parochi correctio competit tam episcopo, quam superiori regulari, cum præponderantia favore episcopi. Idem *ib.* § 10.

98 Ipsius remotio decerni potest tam ab episcopo, quam a superiore regulari, absque alterius consensu. Idem *ib.* § 11.

99 Exempti tamen sunt ab episcopi visitatione et correctione parochi regulares, qui curam exercent in ecclesiis eorum monasteriorum, sive locorum, in quibus abbates, aut alii superiores regulares jurisdictionem episcopalem et temporalem in parochos, et parochianos habent. Idem *ib.* § 12. Nisi episcopus probet ampliorem jurisdictionem ex alio capite sibi acquisitam esse. Idem *ib.* Exempti sunt etiam animarum curam gerentes in ecclesiis eorum monasteriorum in quibus abbates generales, seu capita ordinum sedem ordinariam principalem habent. Idem *ib.* § 13. Quod non extenditur ad residentias aliorum præsulum regularium non generalium. Idem *ib.* § 13.

100 Illa autem dicenda est superioris generalis residentia ad effectum hujusmodi exemptionis, quæ a constitutionibus, vel a consuetudine ordinis præfinitur. Idque tantummodo monasterium, non vero aliud, in quo quacumque de causa superior generalis commoratus fuerit pro ordinaria sede haberi præcipit, licet ipse generalis ibi actu non resideat. Idem *ib.* § 17. Vel si a constitutionibus, vel consuetudine alicujus ordinis residentia non sit præfinita, illa erit pro residentia ordinaria habenda, quam superior generalis, seu caput ordinis, initio generalatus elegerit. Verum si facta semel hujusmodi electione, eamdem postmodum variare præsumpserit, declarat, neque monasterium initio electum, neque alterum, etiamsi cum sua curia eo se transtulerit, privilegia ordinariæ et principalis generalitiæ sedis habiturum. Idem *ib.* § 18.

101 Hac exemptione non gaudent aliæ parochiæ hujusmodi monasteriis unitæ. Idem *ib.* § 15.

102 Episcopus pro dictorum exemptorum parochorum remotione potest instare apud superiorem generalem si cognoverit, parochiam non recte administrari, et aliquando etiam debet pro sui officii munere, implorata quoque, quatenus opus sit, apostolicæ sedis auctoritate, si nempe generalem prædictum, aut reluctantem, aut parocho plus æquo faventem invenerit. Idem *ib.* § 16.

103 Et in his etiam præservatur majus jus, quod episcopo alias acquisitum fuisse probetur. Idem *ib.* § 19.

104 In regularium ecclesiis parochialibus episcopus visitans potest illud dumtaxat altare, in quo SS. Eucharistiæ sacramentum asservatur, et consequenter sacrum ipsum tabernaculum, fontem baptisterii, si adsit; confessionale parochi, pulpitum ecclesiæ a quo parochus jus habet verbi Dei denunciandi, sacrarium pariter ecclesiæ ad inspiciendum locum in quo asservatur sacra supellex pro sacramentis administrandis, sepulcrum et cœmeterium parochiale; turrim campanariam, dummodo in ea sint campanæ ad parochiam proprie spectantes; ac demum præter res supra enunciatas, omnia sacra vasa, quibus vel particulæ consecratæ servantur, vel sacra olea, vel aqua baptisterii, vel alia rite benedicta quæ pro ingredientium aspersione ad ecclesiæ fores poni consuevit. Idem *ib.* § 7.

105 In regularium ecclesiis, sive parochialibus, sive non, potest episcopus confirmationis sacramentum arbitrio suo ministrare. Id. *ib.* § 6.

106 Regularis superioris approbatio ad confessiones non suffragatur, ut quis absolvere possit a peccatis et censuris reservatis in vim indulti apostolici requirentis approbationem ordinarii. Idem const. 100 incip. *Apostolica indulta* § 6.

107 Regularibus non suffragatur indultum cruciatæ quoad electionem confessarii pro absolutione a censuris, et peccatis reservatis. Idem *ib.* § 7.

108 Regulares superiores an expectare debeant consensum episcopi, ut clericum sæcularem ad habitum suæ religionis admittere possint? In jure pariter cautum non reperitur, quamvis hujusmodi consultatio inter episcopum, et superiorem regularem, ut unicuique sua ratio constet, ipseque superior regularis ab episcopo edoceri valeat de idoneitate clerici, numquam interdicta fuerit, nec ipse pontifex eam vetare intendat, quin potius illius utilitatem, atque opportunitatem agnoscat, resolvens opus non esse ad id nova constitutione. Idem *ib.*

109 Non licet episcopis in synodis derogare privilegiis a sede apostolica con-

cessis regularium ordinibus, Benedict. XIV, *De synodo diœcesana lib.* 7 *cap.* 41 *n.* 1 adductis ad id pluribus juribus.

110 Regulares enim sæpe conquesti sunt episcopos in synodis præcepta, et statuta emisisse de regulari observantia cum verbo *præcipimus*, seu *statuimus*; quapropter sacra congregatio concilii justam agnoscens regularium querelam, verbum illud *præcipimus*, seu *statuimus* nedum a diœcesanæ, verum etiam a provincialis synodi constitutionibus jussit expungi, et decretum in hunc modum reformari. Intelligant regulares se teneri ad regulæ, quam professi sunt, normam, vitam instituere. Idem *ib. c.* 43, *n.* 1, ex Fagnano *in c.* Quod super *n.* 25 *de major. et obed.*

111 Possunt tamen episcopi tamquam sedis apostolicae delegati plura sancire quoad regulares. Idem *ib. n.* 3.

112 Et præcipue ea, in quibus subduntur ipsis, juxta allata in hoc art. Et signanter regulares obstringuntur constitutionibus synodalibus in iis, quæ respiciunt curam animarum, administrationem sacramentorum, et jurisdictionem episcopi delegatam. Idem *ib. l.* 8, *cap.* 4. *n.* 5. Ex conc, Trid. *sess.* 25 *cap.* 11 *de Regular. et cap.* 1 *de Privil. in* 6.

113 Et ad evitandum scandalum, tenentur etiam aliis constitutionibus, licet non semper sub gravi.

114 Idem *cit. n.* 5. Tenentur servare festum indictum, et interdictum promulgatum ab episcopo, non tamen jejunium, in synodo, vel extra denuntiatum;

115 Nisi alia esset antiqua consuetudo, aut scandalum urgeret. Idem *ib. n.* 6 *et* 7.

116 Præmonstratensis ordinis canonici, et moniales sunt a jurisdictione cujuscumque ordinarii exempti, et sanctae sedi immediate subjecti. Benedict. XIV. *Constit. incip.* Super eminenti § 1 *et seq.*

117 Eodem privilegio gaudent monasteria, prioratus, ecclesiæ, prædia, et res quæcumque ad eumdem ordinem pertinentes. Id. *ibid. p.* 5 *et* 7.

118 Hac tamen exemptione uti non possunt canonici curæ animarum addicti in iis, quæ ipsam curam respiciunt. Idem *ibid.* § 8.

119 Regulares sunt ab ordinariorum jurisdictione exempti. Benedict. XIV. *Constit. incip.* Apostolicum minister. § 3.

120 Tamen extra diœcesim, ubi promoti sunt, ordinem in alienis ecclesiis exercere non possunt, nisi ordinario ejusve officialibus testimoniales suorum superiorum exhibeant. Idem *ib.* § 6. Multoque minus licet ipsis sæcularium confessiones audire, nisi approbati fuerint a loci ordinario. Idem *ib.* § 7. Nihil obstantibus amplissimis quibuscumque privilegiis, ac etiam consuetudine. Idem *ib.* § 7. Et approbare potest ordinarius regulares ad excipiendas

sæcularium confessiones indefinite, et cum præfinitione temporis; approbatus autem indefinite sine causa suspendi non potest. Idem *ib.* § 9.

121 Regulares in iis, quæ curam animarum, et administrationem sacramentorum respiciunt, subsunt jurisdictioni, et visitationi episcopi; nihilque hac in re ipsorum privilegiis juvantur. Idem *ib.* § 12 *et* 13. Idque obtinet, sive regularis parochus sit, sive plura, vel unum sacramentum sæcularibus ministret, sive inscio, sive annuente episcopo. Idem *ib.* § 14. Non tamen subjiciuntur in iis, quæ regularem observantiam respiciunt; nisi maneant extra claustra, vel publice delinquentes, a superioribus post interpellationem episcopi, non corrigantur. Idem *ib.* § 15. Superior autem regularis potest sibi subditum, non solum in iis, quæ sunt regularis observantiæ, sed etiam curæ animarum, et administrationis sacramentorum, punire. Idem *ib.* § 17.

122 Regulares, ob mutatam rerum faciem, in Indiis Occidentalibus, non fruuntur amplius privativo jure obtinendi parochias, aliaque officia curata. *Benedict. XIV. constit. incip. Cum alias* § 2 *et seq.* Immo qui iis præpositi sunt, tamquam ad nutum amovibiles, possunt, nulla expressa causa, ab ordinario, æque ac a superiore regulari amoveri. Idem *ibid.* Alia vide tom. 6 verb. *Missionarii.*

123 Regulares non parochi sæcularium confessiones excipientes, an conferentiis casuum pro clero sæculari statutis interesse debeant? Ad id juvat adducere quæ tradit Benedictus XIV in appendice ad tom. 4 sui bullarii, *pag.* 25 *et seq.* ut sequitur.

Lettera circolare della S. congregazione della disciplina, diretta a' superiori regolari d'Italia, edelle'isole adjacenti, sopra il dubbio se i confessori regolari non curati, siano obligati ad intervenire alla conferenza dei casi morali, ordinata dai Vescovi nelle loro diocesi.

§ 1. Altre volte è stata esaminata nelle sagre congregazioni l'istanza d'alcuni vescovi di poter astringere i confessori regolari non curati, a dovere intervenire nella conferenza de casi morali, da detti vescovi in certi giorni della settimana destinati, e varie furono le resoluzioni, secondo la diversità dei casi i quali nelle medesime furono proposti. Essendosi poi conosciuto il pregiudizio, che recava all' osservanza della disciplina regolare il dovere assistere alla detta conferenza in quel tempo, in cui dovevano i regolari adempire i di loro officii claustrali, e l'abuso, che si era introdotto tra i confessori suddetti, i quali col pretesto di dovere assistere alla detta conferenza, non volevano indi venire all' altra stabilita dalla s. m. di Clemente VIII, e dalle loro costituzioni dentro i Chiostri; per potersi in tanto dare l'opportuno rimedio a questi inconvenienti, molti procuratori generali, special-

mente quello dei minori conventuali, hanno stimato cosa necessaria il dover far ricorso in questa S. C. della disciplina, per poterne sentire la finale risoluzione colla quale si potessero in avvenire togliere tutti i contrasti. Riferitasi perciò questa causa in essa s. cong. dall' eminent. sig. card. Guadagni prefetto della medesima sotto il seguente dubbio:

Se i confessori regolari, non curati, siano, o no obbligati ad intervenire alle conferenze dei casi di coscienza dai vescovi nelle di loro chiese secolari stabilite?

§ 2. Ed essendosi, prima di dare la risposta al dubbio suddetto, considerato che questa materia era stata già magistralmente esaminata, e risoluta a favore dei regolari nella S. C. del Concilio, nel tempo, in cui la santità di nostro signore papa Benedetto XIV era segretario della medesima, in una causa d'Acquapendente = *Visitationis sacrorum liminum* 12 *martii* 1718 inserita nella Notificazione 15 = al § dei confessori regolari, nel tomo 5 delle Notificazioni, ed editti della santità sua, quando era arcivescovo di Bologna, fu di comun consenso risposto al dubbio suddetto nel dì 19 maggio del corrente anno 1752,

Negative, et dentur decreta alias in re hac emanata. Scilicet a S. cong. Concilii in una Aquipendii visitationis sanctorum liminum 12 martii 1718, et in Forosempron. 12 maii 1685. Riferita nel foglio della citata causa d'Acquapendente. Et ex sac. congregatione super Statu regularium, in una Maceraten. 15 januarii 1682. Quali tutte si danno per extensum nel fine della presente lettera:

§ 3. Passò poi essa S. C. nel dare l'opportuno provvedimento sopra l'abuso introdotto in alcuni conventi, nei quali, o per negligenza, o per ignoranza dei decreti suddetti, non vi si tiene la lezione della morale, nè vi si fanno le conferenze dei casi giusta il decreto di Clemente VIII, e delle di loro costituzioni regolari, con ordinare, siccome colla presente ordina a tutti i superiori regolari d'Italia, e delle isole adjacenti, l'esatta, e puntuale osservanza del citato decreto di Clemente VIII, e delle di loro costituzioni circa la lezione della morale, e la conferenza dei casi di coscienza, de farsi impreteribilmente in tutti i conventi del di loro ordine, tanto in quelli, nelli quali vi è la sufficiente famiglia de' religiosi, quanto nei piccioli conventi, dove però vi sono confessori regolari approvati dai Vescovi per ascoltare le confessioni dei secolari. E coll' espressa condizione, che qual' ora dentro i chiostri non venissero eseguiti ad unguem i decreti di Clemente VIII, e le costituzioni del di loro ordine, le quali prescrivono la lezione della morale, e la conferenza dei casi di coscienza, da farsi dentro i loro conventi o monasteri, in detto caso siano tenuti, ed obbligati i confessori suddetti regolari ad

assistere, ed intervenire alla conferenza dei casi stabilita dai vescovi. S' incarica intanto a' detti superiori regolari, di fare eseguire quanto nella presente lettera si contiene, acciò con effetto adempiti i decreti di Clemente VIII e le costituzioni dei loro rispettivi ordini, le quali hanno prescritta, e stabilita la detta lezione di morale, e conferenza di casi, come un punto principale dell' osservanza della regolare disciplina dentro i chiostri ; e di dover trasmettere la presente lettera in tutti i loro conventi, e monasteri, con farla ivi leggere due volte l' anno, tenerla affissa nel luogo solito, e registrarla nelle loro segretarie, acciò non si possa allegare causa d' ignoranza in contrario. Per esser cosi, et non altrimente l' intenzione di nostro signor, a cui essendo stata fatta da monsignor segretario la relazione di tutto il contenuto nella presente lettera, si è benignamente degnato di approvarlo, e di confermarlo.

Dato dalla nostra solita residenza questo di 8 novembre 1752.

F. G. A. card. Guadagni prefetto.

F. Solazzi arcivesc. di Tebe segr.

Decretum sacræ congr. Concilii *in una Aquipendii visitationis sacrorum liminum* editum 12 martii 1718.

In relatione status ecclesiæ de more ab episcopo Aquipendii ad hanc sacram congregationem transmissa, legitur ab eodem institutas fuisse in sua diœcesi conferentias, sive congregationes pro discutiendis casibus conscientiæ, quæ singulo quoque mense coguntur, quibusque diligentissime interveniunt omnes parochi, et sacerdotes quibus fidelium sacramentales confessiones commissæ sunt, et reliquus ecclesiasticorum cœtus.

In eadem relatione habetur, quatuor esse conventus regularium in civitate Aquipendii, Augustinianorum videlicet, Minorum Conventualium, Capuccinorum et PP. Minorum Observantiæ, et religiosos in iisdem degentes sæpe sæpius non esse in numero a sanctionibus apostolicis præscripto.

Rursus in citata legitur relatione, alios quinque esse religiosorum conventus in diœcesi, duos PP. Minorum Observantiæ, alterum in terra Canini, alterum in terra Farnesii, ubi pariter existit conventus Capuccinorum ; quartus conventus est ille Servorum beatæ Mariæ Virginis, qui est in terra Ischiæ ; et postremus est conventus Carmelitarum in oppido Cellularum, qui est episcopali visitationi subjectus.

Tandem in relatione, aliis prætermissis dubiis, quæ specialem non merentur discussionem, proponit episcopus, an regularibus, qui suorum subditorum confessiones audire cupiunt, liberum sibi sit, et licitum, conditionem in concedendis facultatibus injungere, interessendi videlicet menstruis disceptationibus, et congregationibus casuum conscientiæ.

Pro parte affirmativa ponderari posse videtur, id non esse novum. Clar.

etenim mem. card. de Luca in adnotationibus ad concilium Tridentinum *discurs.* 2, *num.* 12, dicit, id futurum esse maximopere proficuum, tum, ut episcopus perspectas habeat opiniones omnium suorum confessariorum, tum, ut quantum possibile est, uniformis sit confessariorum doctrina in materia morum, et signanter contractuum, in qua sæpe sæpius theologi dissident a theologis et a canonistis, quibus addi posset, collationem hanc omnium confessariorum, tam sæcularium, quam regularium futuram esse non inutilem pro animorum unione, juxta ea, quæ habentur in actis ecclesiæ Mediolanensis *tomo* 1, *p.* 4 *in Instruct. confess. p.* 647. Ideo regularium superiores confessarios suos sæpius moneant, et ad hanc animorum unionem in fidelium ædificationem adhortentur, curentque in primis, ut dum in casuum resolutione diversa inter eos et parochos sententia fuerit, prudenter in eos se gerant, ut ad laicorum notitiam id non veniat, sed ad nos pro decisione recurrant.

Negativæ e contra favent opinioni ea, quæ sequuntur. Primo, quod episcopus confessariorum regularium doctrinam perspectam habere potest in examine, quod illorum approbationem præcedit ad terminos sacri concilii Trid. *sess.* 23 *cap.* 15 *de Reformat.* Secundo, quod in decretis pro reformatione regularium editis a Clemente VIII præscribitur, quod in singulis monasteriis, et conventibus bis in hebdomada habeatur lectio sacræ scripturæ, vel casuum conscientiæ, ad quam fratres omnes convenire tenentur. Tertio, quod hic in Urbe, in decem et septem conventibus fiunt congregationes casuum conscientiæ, illisque interveniunt parochi tantummodo, et confessarii ex clero sæculari, non vero regulares, in quorum conventibus prædictæ casuum lectiones habentur. Quarto tandem, quod ab hac sacra congregatione die 12 maii 1685, uti habetur *lib. decretorum* 37, *fol.* 438 prodiit hæc resolutio in quadam causa Forosempronien. *Accessus ad congregationem casuum conscientiæ.*

Episcopus exponit, in civitate Forosemproniensi, duo adesse regularium cœnobia, unum scilicet Minorum Conventualium S. Francisci, alterum vero Barnabitarum, quæ propter exiguum religiosorum numerum ibi degentium, subjecta sunt jurisdictioni ordinarii ex decreto sanc. mem. Innocentii X incipienti : *Ut in parvis*, et licet dicti religiosi hujusmodi subjectionem agnoscant, atque patiantur, qui tamen ex eis sæcularium confessiones, eodem ordinario approbante, excipiunt, ad congregationem casuum conscientiæ, quæ singulis mensibus habetur, cuique confessarii omnes intersunt, accedere renuunt ; quocirca petit declarari, an prædictos confessarios regulares cogere possit ad interessendum præfatæ congregationi casuum conscientiæ ? S. congr. etc. respondit, *Negative.* His positis onus erit EE. VV. decernere.

An in casu, de quo agitur, permissum esse valeat episcopo, concedenti

sacerdotibus regularibus facultatem audiendi confessiones sæcularium, injungere, ut intersint congregationibus casuum conscientiæ?

Negative, et detur decretum in Forosempronien. 12 maii 1685.

124 Decretum sac. congregat. super Statu regularium in una Macerat. 15 januarii 1682 editum.

Cum conventus suppressi, et postea restituti, in quibus non degunt de familia duodecim religiosi, sint vigore decreti: *Ut in parvis*, fel. rec. Innoc. X subjecti visitationi, correctioni, et omnimodæ jurisdictioni ordinariorum locorum, contigit dubitari, an religiosi confessores, et non parochi, in hujusmodi conventibus degentes, compelli possint ab iisdem ordinariis, ut accedant ad conferentiam casuum conscientiæ?

Proposito hoc dubio, S. congreg. super Statu regularium habita in palatio Vaticano die 15 jan. 1682. Eminentiss. PP. censuerunt, ordinarios locorum posse quidem hortari, non autem compellere prædictos religiosos confessores, non parochos ad accedendum ad conferentiam casuum conscientiæ.

125 Regulares quicumque etiam exempti in Indiis Orientalibus agentes, curam animarum exercentes, subsunt prævio examini ordinariorum, et approbationi, necnon visitationi, correctioni et jurisdictioni eorum in iis, quæ ad prædictam curam pertinent. *Bened. XIV, tom. 2 bull. constitut. 4 incip.* Quamvis ad comfirmandum.

126 Regulares etiam exempti nequeunt exponere sacramentum Eucharistiæ sine velamine in suis ecclesiis, nisi ex causa publica ab ordinario probata. Fas est tamen illis ex causa etiam privata Sacramentum velatum exponere in tabernaculo aperto, dummodo tamen ab illo non extrahatur; ut ex decreto sacr. congregat. *De synodo diœcesan. lib. 7 cap.* 41 § 4.

127 Generatim vero jus est episcopis cogere regulares parere sibi circa ea, quæ ad majorem cultum hujus ineffabilis mysterii, et celebrationis missæ præcipienda censuerint. Quod ex decreto Tridentini sess. 22 *De observand. et evitand. in celebrat. missæ* eruitur; *ibid.* § 5.

128 Regulares tenentur parere episcopo præcipienti, ne in eorum ecclesiis exponatur insolita imago, aut nova reliquia ab ipso non approbata, et inobedientes possunt etiam censuris cogi, ut ex decreto sacr. congreg. *die* 5 *jul.* 1700. *Ibid.* § *eodem.*

129 Regulares puniri possunt ab episcopo tanquam apostolicæ sedis delegato, si quid deliquerint in iis, quæ respiciunt clausuram monialium etiam exemptarum, et earum, quæ intra monasterii septa degunt. *Ibid.* § 6.

130 Regulares non possunt sæcularium confessiones excipere *sine licentia, gratia, et beneplacito episcopi,* quæ verba sunt extrav. Bonifacii VIII, in cap. *Super cathedram, de sepulturis,* quod et confirmavit Trident. *sess.* 23 *c.* 15

de Reform. Sed et fas est episcopis eam facultatem limitare ad certum tempus, certasque personas, quin et ex parte revocare; contrariamque opinionem Alexander VII die 30 januarii 1659 damnavit. *Ibid. lib.* 7, *c.* 42, § 7.

131 Possunt tamen regulares ab episcopo approbati acciri ad domos sæcularium ægrotantium, eorum confessiones audituri, non petita a parochis ægrotantium licentia, sed de audita ægrotantium illorum confessione debent relinquere syngrapham, qua parochus certioretur. *Ibid.* § 8.

132 Regularibus prelatis non licet monasteria monialium sibi subjectarum ingredi, nisi semel in anno causa visitationis; si autem necessitas urgeat, an sæpius ingrediantur, non possunt nisi cum præsentia episcopi diœcesani, aut alterius ecclesiastici, ab ipso deputati. *Ita ex constit. Alexandri VII incip.* Felici. *Ibid. lib.* 7, *cap.* 41.

133 Regulares subduntur coercitioni episcopi, si excipiant confessiones sæcularium sine prævia episcopi approbatione, ut ex constit. 10. Clementis X. Item non possunt inconsulto, et non approbante episcopo audire confessiones monialium sui ordinis etiam exemptarum ex vi bullæ 18 Gregorii XV. *Ibid.*

134 Regulares nova monasteria, seu domus ne erigant, vetantur, absque sedis apostolicæ et episcopi facultate, quamvis Tridentinum *sess.* 25, *cap.* 3, *de Regular.* solius episcopi facultatem exprimat. *Ibid. lib.* 9, *cap.* 1 § 9, *nova edit.*

135 Est tamen pro monialibus in ditione Hispanici regis breve Urbani VIII suspensivus ejusdem constitutionis, sed non valet extra Hispaniam. *Ibid lib.* 9 *cap.* 15.

136 Ad statum regularem transire possunt presbyteri ecclesiæ vel diœcesis servitio addicti, invito etiam episcopo proprio; tenentur tamen, nisi aliquid obstet, illum consulere. *Ita in epistola ad card. Quirinum incip.* Ex quo. *Bular. tom.* 2 *n.* 25.

137 Regulares extra monasterium degentes, et clericos regulares quomodocumque exemptos in civilibus causis mercedum, et miserabilium personarum, nisi habeant judicem certum a Sede apostolica in partibus deputatum, coram ordinariis locorum conveniri posse in prima instantia, decernit laudatus pontifex *in bulla incip.* Ad militantis *tom.* 1. *Bull. n.* 48, § 41.

INDEX

CAPUT PRIMUM.

De universo statu religioso.

CAPUT SECUNDUM.

De primæva monasteriorum libertate.

CAPUT TERTIUM.

De restricta monachorum libertate.

CAPUT QUARTUM.

De commentitia auctoritate œconomica episcoporum.

CAPUT QUINTUM.

De jure eligendi superiores regulares.

CAPUT SEXTUM.

De administratione bonorum monasticorum.

CAPUT SEPTIMUM.

De veterum exemptionum formulis.

CAPUT OCTAVUM.

De monasteriis regiis.

CAPUT NONUM.

De multitudine monasteriorum singularium olim liberorum.

CAPUT DECIMUM

De exemptione Monasteriorum, in congregationem coactorum.

CAPUT UNDECIMUM.

De exemptione Cisterciensium aliarumque congregationum seu ordinum regularium.

CAPUT DUODECIMUM.

De querelis adversus regularium exemptionem et privilegia.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

De querelis adversus regularium privilegia in concilio Tridentino.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

De causis conservandæ exemptionis regularium.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

De objectionibus aliquot fieri solitis adversus exemptionem et privilegia regularium.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

De cogitato quodam ordinum religiosorum regimine.

ERRATA ALIQUOT PRÆCIPUA.

Pag. 25, lin. 18, Adrianus VI *lege* Adrianum IV.— p. 30, lin. 4, episcopum *lege* episcoporum. — p. 39, lin. 22, effacius *lege* efficacius. — p. 48, lin. 2, honorum *lege* bonorum. — p. 101, lin. 33, Joannes *lege* Joannis. — p. 141, lin. 32, *dele* non.